DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA

DE

COMMERCIO ET INTERNAE ADMINISTRATIONIS FORMA POSSESSIONUM BATAVARUM

IN

INDIA ORIENTALI.

DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA

DE

COMMERCIO ET INTERNAE ADMINISTRATIONIS FORMA POSSESSIONUM BATAVARUM

IN

INDIA ORIENTALI

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

Caspari Georgii Caroli Reinwardt,

PHIL. ET MED. DOCT. ET PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

PETRUS MIJER,

BATAVIA-INDUS.

AD DIEM XI OCTOBRIS MDCCCXXXII, HORA II.

AMSTELODAMI,

EX OFFICINÂ TYPOGRAPHICÂ A. ZWEESAARDT.

MDCCCXXXII.

VIRO NOBILISSIMO

PETRO VAN HOEK,

CURIAE JUDICIARIAE BATAVIENSIS GRAPHIARIO,

VITRICO OPTIMO, CARISSIMO

OMNI, QUO FILIUM DECET AMORE AC PIETATE AD ROGUM USQUE COLENDO,

NEC NON

VIRIS ORNATISSIMIS

ADRIANO MIJER,

PATRUO DILECTISSIMO

ET

HENRICO LINSE,

SUMMA REVERENTIA IN PERPETUUM PROSEQUENDIS.

Hoc grati animi specimen offert auctor.

PRAEFATIO.

Diversae eaeque gravissimae temporum vicissitudines, quas recentioribus potissimum temporibus, a bello Anglo-Americano inde ad nostra usque tempora passim subierunt Possessiones Batavae in India Orientali, in causis sunt, ut major exstiterit scriptorum librorumque copia, qui sive juste sive injuste vitia et virtutes, quae in rerum Indicarum administrationem irrepserant et vigebant, revelarunt et patefecerunt. Etenim antea eorum, quae ad possessionum administrationem pertinebant, notitia in Europa comparari vix poterat, partim ob silentium, quod universe de agendi ratione habuit Societas, partim ob difficultates, quibuscum ulterior rerum inquisitio conjuncta erat.

Magnum sane et illustre erat nomen, quod per duo secula sibi in India tuita erat gens Batava, et quanta in gentium consociatione, parvuli cujusdam atque inermis, sed commercio, navigationi, coloniis transmarinis atque omni industriae innitentis populi vis sit et auctoritas, numquam certe clarius patefactum est, quam Provinciarum Batavarum Confoederatarum exemplo.

Societatis Batavae institutum, quamvis serioribus temporibus sive nimis inveteratum sive nostrorum temporum opinionibus et principiis consentaneum amplius non sit, initio Reipublicae foederatae Batavae, necessarium fuit ad mercaturae Batavorum incrementum.

In regione natus, ubi Batavorum dominatio in istis transmarinis orbis partibus floret et viget, in deliciis semper habebam, hujus dominationis vim et historiam indagare. Hanc disquisitionem mihi utilem et jucundam fore, si aliquando in Indiam redire deberem, patet.

Quumprimum igitur eo pervenissem, ut studiis Academis finem impositurus essem, majorumque quoque instituto optimo obtemperarem, quo vitae publicae ac privatae quasi iter et navigationem ingredi cupienti, progressuum suorum specimen quoddam in lucem emittere praescribitur, huic legi satisfieri posse existimabam conscribendis quibusdam de Commercio et internae administrationis forma Possessionum Batavarum in India Orientali.

Duo tamen requiri, ut huic consilio satisfieret, statim percepi. Unum in eo versatur, ut is, qui de rebus Indicis judicare velit, experientia et usu edoctus esse debeat: tum ut sine studio et ira de his rebus sive scribatur sive judicetur, alterum esse, existimabam. Quod primam hanc conditionem non impleverim, omnes sentient, qui meminerint me sex annorum puerum fuisse, quum Indiam relinquerem, neque ab ea aetate inde eam visitasse. Quod ad secundum, illud confiteri non dubito, ea quae a me conscripta sunt, prius eo qualicunque judicio esse perpensa et indagata, quo mihi uti natura concessit, verum saepius in his difficilius esse profiteri in quamnam opinionem pedibus eundum sit, quandoquidem ut in multis sic et in his multorum, qui de India scripserunt illud sit vitium, ut semper extrema proponant, medium relinquant sive obliviscantur: et insuper saepius vere multa dicta et conscripta esse de India ab hominibus incultis et indoctis, quum gravissimi errores sagacissimorum et edoctorum in his versantur, unusquisque sciet, qui primis labiis res Indicas degustaverit.

In conscribendo hoc de India Orientali specimine 1°. *mihi potissimum propositum erat, ut pacta diversa, quibus in variis possessionibus Indicis dominatio Batava nititur, exponerem,* 2°. *ut commercium et diversi proventus, quorum in commercio interno et externo usus est, describerem, diversa hujus com-*

mercii fata recenserem, et hodiernam conditionem, quantum mihi nota erat, proponerem: saepius tamen hic et illic facta celebria *exponenda erant, in quibus gentis Batavae gloria et virtus ab ejus vituperatoribus erat vindicanda. Haec ad universum imprimis vero ad Primam operis partem pertinent. In Secunda parte in plurimis quidem eandem ac in priori scribendi normam secutus sum, verum pluribus Javae insulae conditionem indagavi, cum quia ea inter omnes possessiones Batavas in India praestantissima sit, tum quia ibi dominatio firmior et certior est. In ultima Partis II. § diversa commercii Indici fata ab a.* 1780 *ad nostra usque tempora adnotavi: hanc tamen § non tam ad secundam partem, quam quidem ad totum opus pertinere et quasi epilogum efficere eorum, quae universe a Societate Batava, et serioribus temporibus, a subsecutis administrationibus facta sunt, unusquisque facile sentiet.*

Atque haec sufficiant ut paucis exponerem, quid consilii in hac Dissertatione conscribenda secutus sim.

De hujusmodi rebus latine scribendi difficultate, antea Consult. DEDEL *in eximia Dissertatione* de Coloniis, *pluribus locis a nobis citata, jam merito questus est: hanc potissimum rationem allegans, ea dicenda esse, quorum pleraque a Romanorum institutis abhorrerent: neque sane mirandam rem esse quandoquidem veteres Oeconomiae-Politicae studium pene ignorarent, et* CICERO *ipse* (de Offic. I. 42.) *quaestum mercenariorum illiberalem vocet omnibusque, quorum operae non artes emuntur, sordidum studium exprobret, omnes denique Romani, divitias cumulandi curam servis reliquerint infimique ordinis hominibus. Quae quum ita sint, rara quoque coloniarum mentio apud veteres.*

Si quis hunc libellum inspiciens, perpauca invenerit aut industriae specimina, contra vero multa minus polite scripta, nonnulla ab omni elegantia aliena, pro humanitate ejus hoc adtribuat desiderio, aliquam sibi comparandi notitiam de regionibus quibuscum necessitudinem haud parvam contraxit auctor, et de quibus pro indole haec conscribere sibi proposuerat.

Per quindecim fere annos quos in amoena et illustri hac Batavorum terra transegi, tali perpetuo institutione usus sum, quam aptissimam judicarunt Parentes optimi, carissimi, ad vitae curriculum postea in patria ipsa ingrediendum. Et profecto, non is ego sum, qui toto animo non confiterer, me tali gavisum fuisse institutione, qua, si ipsa non defuit industria nec labor, vitae publicae iter rite justeque percurri posset. Etenim, si cui alii, mihi imprimis incumbit officium, publice gratum animum testandi, qui tales continuo habuerim Tutores dignissimos, Praeceptores eruditissimos, sodales conjunctissimos, quales quantosque habiturum me esse, sperare vix potui.

Primum vos compello, Viri nobilissimi, ADRIANE MIJER *et* HENRICE LINSE, *alter sanguinis vinculo mihi conjunctissimus, amicitiae studio alter: ambo Tutores indulgentissimi. Grata mihi haec est opportunitas, quà publice Vestrum in me merita commemorare possum. Etenim ab ineunte inde aetate in vestrum contubernium me tradiderunt parentes optimi. Vos me ita semper excèpistis, tractastis, ac parentes liberos tractare, excipere existimem! Quid dicam de consiliorum prudentia, de monitorum salubritate, de insigni ista in auxiliis praestandis benevolentia, quibus semper ornare me voluistis. Ambo certastis, ut et consiliis et humanitate me formaretis, talia praestaretis, ut si quid boni ex me nascatur, vestris admonitionibus illud potissimum tribuendum esse appareat. Domestica enim vestra familiaritate ita usus sum, ut magis et ipse filius, quam pupillus, vos magis parentes et et amici, quam tutores stricte dicti fuistis. Vos nisi habuissem, certe multo me magis parentibus carere sensissem. Faxit D. O. M. bonorum ille omnium auctor, ut aliquando pro innumeris et praeclaris istis meritis et beneficiis, me talem vobis praestem, ut numquam in dedecore habeatis me aliquando vestrum pupillum et amicum fuisse. Diu adhuc cum vestris vivatis in laudem humanitatis, in salutem patriae, diu prosis fratribus, et eadem illa indulgentia et amicitia me prosequi pergatis!*

Ingratum me ostenderem si horum memor non essem, quorum institutione in hac Academia per quadriennium mihi uti contigit, vel quorum auxiliis in conscribendo hoc opusculo usum sum.

Te imprimis compello TYDEMANNE, *Promotor aestumatissime, quem quamvis gravissimis multiplicibusque laboribus impeditum, in consiliis dandis semper benevolum, in subsidiis suppeditandis facilem inveni. Gratum tibi offero animum pro egregiis illis consiliis, quibus continuo in conscribenda hac Dissertatione fruitus sum, et illud tibi persuasum habeas, me semper jucunde recordaturum ea tempora, quibus tua institutione, tuis monitis uti mihi contigit.*

Neque vero committendum est, ut silentio te praetermittam Cl. THORBECKE, *cujus institutione per breve quidem tempus usus sum, verum qui in hoc opusculo conficiendo auxiliatricem manum numquam denegasti: grata memoria semper recolam, quid ex te tuisque colloquiis perceperim, quod mihi vel universe utile erat vel ad hoc qualecumque opus. Diu vivas et multis adhuc prosis juvenibus et ut tua benevolentia me prosequaris, obsecror.*

Vobis omnibus Viri Cl. Praeceptores doctissimi, quorum scholis interesse mihi in hac alma Musarum sede contigit, gratias ago pro egregia institutione. Si quid in his studiis profecerim, illud me vobis imprimis debere, grato animo nunc publice testor. Vivatis omnes in salutem patriae, in emolumentum illustris academiae Lugduno-Batavae, in commodum Litterarum et disciplinarum humaniorum!

Ad vos se convertit mea oratio, qui subsidiis suppedi tandis, vel benevolentia praestanda, meum opus sublevastis. Inter hos imprimis nominandi Viri Ampl. BAUD *et* VAN ALPHEN, *alter quondam coloniarum Administrator in patria, nunc vero summa dignitate ornatus in Indiam missus, alter in magno delegatorum coetu coloniarum causae eximius orator, eximia rerum peritia excellentes ambo. Benevolum erga me animum, quem ostendistis, in mecum illis subsidiis communicandis quibus referta sunt publica Scrinia sive quibus privata vestrorum abundabat librorum collectio, et sine*

quibus difficilior mihi hujus operis elaboratio fuisset, cum honoris tum commendationis specimen existimo. Viros Ampl. rogo ut pro his beneficiis publicum hoc grati animi testimonium accipiant indulgentia et benevolentia, et auctorem in posterum summo eorum favore prosequi velint!

Et vos tandem, valeatis omnes commilitones dulcissimi, juvenes ornatissimi! Vestra amicitia imprimis curriculi Academici gaudia auxit: vestrae consuetudinis numquam immemor ero, ubicumque terrarum fata me ducant: valeatis, verum ita non ut hujus amicitiae et consortii memoriam deponamus, verum deinceps in vitae publicae via et itinere, colenda augendaque amicitia, persequendo humanitatis studio, et virtutis excercitio vitae commoda augeamus, et communem salutem promoveamus.

ORDINIS CONSPECTUS.

PARS SECUNDA.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECUNDA.

Among the nations of modern Europe, the inhabitants of the United Provinces were early distinguished for their love and trade, and their skill in nautical affairs: and the habits of industry and economy which they thereby acquired, animated with the noble spirit of independence, which they inherited from their Batavian antecestors, gradually rendered them a sensible, intelligent and enterprising people.

WILLIAM MILBURN.

DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA

DE

COMMERCIO ET INTERNAE ADMINISTRATIONIS FORMA POSSESSIONUM BATAVARUM

IN

INDIA ORIENTALI.

INTRODUCTIO.

Magna, quae in navigatione et commercio exstitit mutatio, quum Lusitani, saeculo XV ad finem vergente, viam per Promontorium Bonae Spei in Indiam aperuissent, effecit ut merces Indicae per Europam ubique divulgarentur, et fons uberrimus divitiarum exsisteret. *Batavi* in ista mutatione magna praestiterunt, et ex ea in eos talia redundarunt emolumenta, quae in posterum multum contulerunt ad confirmandam eorum inter gentes Europaeas gravitatem. Gravissimis vexationibus per complures annos debilitati, multis temporum vicissitudinibus adflicti, et continuis bellis impliciti, singulari industria studioque indefesso tandem eo pervenerunt, ut navibus suis Indiam mercandi causa visitarent, Lusitanorumque aemuli facti, hos brevi ex omnibus fere Indiae locis dejicerent, et ipsi talem ibi constituerent dominationem, quam pauci habuerunt.

Lusitani omne Indicum commercium sub suam redegerant dominationem, et insuper in plurimis Indiae regionibus ingentem Imperii sedem conquisiverant. Hi merces Indicas in Lisboniam deportabant, unde Batavi eas emebant. Et eo quidem tempore soli erant Batavi, qui mercatura ista intermedia fruerentur, propter insignem navium copiam, quam collegerant, et quarum plurimas per totam fere Europam mercandi causa mittebant. Imprimis urbes Brugae et Antverpia exinde multa acceperunt emolumenta, donec a. 1576 Antverpia a militibus Hispanis vastata, multi mercato-

res, hac urbe relicta, Amstelodami domicilii sedem constituerent. Anno 1584 commercium cum Lusitania edicto regio Batavis interdictum est: nihilominus tamen sub auspicio et tutela signi navalis urbium Hanseaticarum illud agebant, donec secundum anni 1594 edictum illud plane impediret. Quinquaginta naves eo tempore ab Hispanis captae fuerant (1).

Sic igitur deterriti a navigatione in Lisboniam, aliam viam ingressi sunt ad merces Indicas sibi comparandas, quum cupiditate arderent id novum mali genus sibi praeter opinionem inflicti ulciscendi, ita ut primum consilium caperent in Indiam suis sumtibus navigandi.

Sic igitur ipsa Hispania Batavorum commercium perversa ista agendi ratione vehementer auxit, et suum ipsius interitum perfecit.

HOUTMANNUS inter primos fuit, qui Promontorio Bonae Spei adito in Indiam navigaret et ibi Batavis viam aperiret (2). Ab eo tempore desiderium propagandi hujus commercii in diversis regionibus commune fuit. Sic societas quaedam instituta est, quae nomen sumsit *Compagnie van verre* (3), et anno 1595 navium quatuor expeditionem in Indiam misit auctore Houtmanno, quae Javam Insulam et Sumatram petiit, sed anno 1597 cum magno nautarum naviumque detrimento in patriam rediit (4). Paulatim plures exstiterunt hujus generis societates, quae cum priori conjunctae Ordinum Generalium auxilium implorarunt, ita ut hi omnium navium instructum in se susciperent, quae annis 1598 et 1599 iterum navibus Indiam petierunt, Amboinam, Ternaten et Bandam appulerunt, et feliciorem in Europam reditum habuerunt. In *Zelandia* ut et *Roterodami* ejusdem formae societates institutae sunt (5). OLIVIER VAN NOORD primus fuit, qui a°. 1598 per fretum Magellanum navigaret et per triennium iter perficeret. A°. 1601

---

(1) HUGONIS GROTII, *Annal. et Histor. de Reb. Belgic.* (Amstelod. 1658) Lib. IV. 231.

(2) Saeculo XVI exeunte diversa quidem tentamina instituta sunt in Indiam navigandi, v. c. a°. 1594 auctore GULIELMO BARENZ VAN DER SCHELLING, et annis 1595 et 1596 auctoribus HEEMSKERKIO et BARENSZ: verum ea exspectationi non satisfecerunt, propter pericula, quae istae expeditiones passae sunt. HUGO GROTIUS l. c. 233. VALENTIJN, *Oud en Nieuw Oost-Indien*, Vol. I. 168.

De HOUTMANNO deque ratione, qua hoc iter suscepit, dissentiunt rerum periti. LUZAC, *Holl. Rijkdom.* I. 240. narrat eum Lisboniam migrasse ut ibi Commercium Indicum indagaret. SAALFELD, *Geschichte des Höll. Colonialwesens*, Vol. I. 15. putat HOUTMANNUM, suspectum quod Lusitanorum negotia, quae ad Indiam pertinebant, tam accurate adtenderet, carcere inclusum esse, sed a mercatoribus Batavis postea pecunia liberatum. Cf. RAYNAL, *Wijsgeerige en Staatk. Geschied. der Europ. in de beide Indien*, Vol. I. 278.

(3) LUZAC, *Holl. Rijkd.* Vol. I. 241. VALENTIJN, l. l. 171.

(4) LUZAC, l. l.

(5) WAGENAAR, *Vaderl. Historie.* Vol. IX. 138 seq.

a nonnullis mercatoribus, qui Amstelodamum venerant, societas inita est, quae nomen *Societatis Brabantinae* accepit (1).

Plurimae expeditiones initio felicem habuerunt exitum, ita ut intra quinque annos priores jam 40 naves emitterent, et e Commercio Indico revera magna redundarent emolumenta (2). Celeriter tamen observabant vitia, quae ex diversarum societatum concursu proveniebant. In India v. c. mercium pretium immodicum erat, ob emtorum multitudinem, et in Europa merces saepius infra pretium vendere debebant; unde quum insignes orirentur difficultates, aliud quaesiverunt perfugium. Convenerunt scilicet Ordines Generales ut omnes, qui naves in Indiam mittebant, se conjungerent, et ex omnibus unam constituerent societatem (*De Vereenigde Nederlandsche O. I. Compagnie* vocatam,) quae societas die 20 Martis anni 1602 ab iis privilegium accepit Indiam versus navigandi et istic mercandi, exclusis ab eadem facultate reliquis civibus illorum sociorum numero non adscriptis. Hoc privilegium imprimis duo continebat capita, quorum prius privilegium (*octrooij*) in 21 annos concessum veniam dat commercium agendi a Promontorio Bonae spei per fretum Magellanum: alterum Societati jus tribuit nomine Ordinum Generalium pacta cujuscunque generis Politica cum Principibus Indicis ineundi, contractus faciendi, Castella aedificandi, Gubernatores, milites et officiales creandi, qui tamen omnes Ordinibus Generalibus jusjurandum fidei praestare et ab iis confirmari debebant (3).

Societatis sors circiter *sex milliones* florenorum continebat. — Parvum provecto et debile initium, si reputemus eam in India bellum contra Lusitanos suscepisse, et tam brevi commercium a Mari rubro usque ad Chinae et Japoniae oras extendisse.

Sic prima in Europa hujus generis et naturae societas exstitit, quae in India tam insignem sibi comparavit potentiam, in Europa Metropolin ad summum floris et prosperitatis fastigium perduxit.

Saeculo XVII universe Europaeorum Coloniae in India insignes subierunt mutationes et praeclara fecerunt incrementa, sed Batavi ubique principatum tenebant, et ad finem hujus saeculi in plurimis Indiae regionibus stationes mercatorias constituerant (4). Angli ta-

---

(1) SAALFELD, l. l. Vol. I. 23. HUG. GROT. *Annal. cit.* X. 415.

(2) *De Indische Archipel, in het bijzonder het Eiland Java,* door JOHN CRAWFURD, Vol. II. 139. (Haarlem bij LOOSJES, 1824).

(3) *Groot Placaat-Boek*, Vol. I. 529. Art. 7. 23. 35. LUZAC, l. l. 245. Art. 35. decreti O. O. G. G. adduntur: « *en eede van getrouwigheid..... aan de Compagnie,* « *zoo veel de Neeringe en Traficquen aangaat.* »

(4) Praeclare hujus prosperitatis causas ita proponit Doct. A. H. L. HEEREN, *Handb. der Geschichte des Europ. Staaten Systems und seiner Colonien,* Vol. I. p. 174. § 2. « Das ganze Prachtgebäude der *Holländischen* Handels- und Fabrik-

men saepius hanc Batavorum felicitatem turbare et evertere conati sunt, sed saepius quoque frustra. In India continuo fere arma gesserunt Batavi contra principes Indicos, qui vel perfide vel injuste agebant: cum his diversa pacta inierunt, quae semper commercium spectabant. In nonnullis regionibus insignem auctoritatem sibi compararunt, in aliis non nisi mercaturam agebant, et in Java Insula et Moluccensibus dominium territoriale habebant. Hoc loco memorare sufficiat, ad medium saeculum XVIII, ad insignem istam societatis Brittannicae potentiam per centum et quinquaginta annos primum in India sibi reservasse locum societatem Batavam, insigne bellum navale sustinuisse, et e diversarum ditionum administratione talia sibi comparasse emolumenta, quae ejus auctoritatem in Europa et India promoverent, et in genere ita se gessisse ut vicissitudines et calamitates continuae per multos annos ejus conditionem debilitarent ejusque interitum perficerent.

Societas eo praesertim consilio instituta fuit, ut mercium pretiosissimarum commercium sibi reservaret. Simplex erat ejus *Systema mercatorium* et initio revera rerum temporumque conditioni consentaneum: omnem concursum impedivit: loca firma ad tuendum commercium construxit: agriculturae proventus infimo pretio sibi comparavit, ut summo venderet: agriculturae tamen haud magnam rationem habuit, certe eam non nisi in tantum excoluit, quantum societati expediret: inde quoque, quod incolarum industriam non excitaverit; imo proventuum quorumdam culturam impedivit, saltem restringere voluit ut pretia remanerent magna, et universe societas soli quum intenta esset mercaturae, saepius sua commoda omnibus reliquis praetulit.

Systema Politicum cum commercio cohaerebat. Vera quidem et integra populorum conditione nitebatur, quae saepius fuit status bellorum intestinorum, mutuae discordiae, in quo nulla publici juris defensio et securitas. Pacem conservavit et per eam commercium extendit. Lusitani contra incolas debellaverant, nulloque jure et nullis pactis suam fundaverant potentiam (1).

Industrie, unter den Panier der freiheit in diesem Zeitraum (saec°. XVII) vollendet, gewährte einen so blendenden Anblick, dasz der Neid der Nachbaren dadurch bald erregt ward. Ihre innere Thätigkeit war freilich schon durch die Beschaffenheit ihres Landes auf Fabriken und Manufacturen gerichtet: aber ein *solches* resultat konnte doch nur durch das Zusammentreffen *Zweier* Ursachen erfolgen: der Leichtigkeit der Anlage, wegen des Unermeszlich sich anhäufenden Nationalcapitals; und der steigenden Bedürfnisse Europas und der Colonieen, bei der steigenden Vervollkommnung des gesellschaftlichen Zustandes. »

(1) Lusitanorum interitus in India, praeter multa alia, tribuendus imprimis est morum pravitati, quae ubique apud Indos magnum excitaverat odium: internarum rerum Administrationi ideo damnosae, quia illi nimia gaudebant auctoritate, qui rebus praeerant, ut Proreges: rei Judiciariae perversae, quae moribus et institutis

Pacta mercaturae gratia inita religiose servavit, et numquam ab iis recedere passa est. Fides ejus ubique aestimata fuit, et qualem in India dignitatem universe sibi comparavisset, hoc probatur testimonio, quod nonnulli Principes Indici ab Anglis in imperii successione confirmati, prius Batavae Societatis consensum et approbationem peterent, sine qua se nulla pollere auctoritate existimabant (1).

In Java insula imprimis societas haec principia ordinavit, sed, ut in seqq. videbimus, populi conditionem, qualem eam invenerat, retinuit, ita ut ne cogitaret quidem de reformandis ad peregrina instituta et liberaliorem modum istis administrationis principiis. Nullum enim dubium, quin, si rerum statum in hac insula paulatim mutare vel emendare coepisset, postquam Principatum sibi in ea comparasset, incolarum salutem suaque commoda mirum in modum augere potuisset.

In Indiae continenti vero, ubi non nisi stationes mercatorias habuit, hanc mutationem forte non eodem modo tentare poterat, quum ejus auctoritas ibi multis limitibus circumscripta esset.

In plurimis Archipelagi Indici regionibus, ubi commercium pactis imprimis nitebatur, magis propria commoda quam quidem Batavorum emolumenta universe promovit Societas. Multa sane in hoc instituto vitia erant, multa tamen genuina et laudabilia; et quamvis rerum pecuniariarum status postremis temporibus deplorabilis et miserrimus esset, tamen id magis rerum temporumque vicissitudinibus, quam perversae agendi rationi tribuendum est. Nullum enim dubium, quin si societas tutelam et defensionem commercii Indici suscepisset, non propriam sed communem salutem promovere voluisset, ea semper multis se commendasset nominibus, eamque dignitatem sustinuisset, quam ubique acquisiverat.

Duae legationes in Indiam missae, quae rerum depravatarum conditionem indagarent, probatissimis exemplis ostenderunt, spem fuisse ut aliquando aurea rediret aetas, sed rem ad finem non perduxerunt, quum interim a. 1795 societatis administratio dissoluta esset (2).

Ab a. 1795—1808 quum Metropolin inter et colonias com-

Indorum plane adversabatur: et tandem vi Inquisitionis, quae imprimis Goae, ubi Imperii sedem collocaverant, severissima fuit. Cf. HEEREN, l. c. Vol. I. 129. Cf. et SAALFELD *de Lusitanorum Coloniis*; et D. LESSMAN, *Albuquerque of de Portugezen in de tijden van hunne Grootheid in Indien*. Haarlem 1831.

(1) Cf. Ampl. D. F. VAN ALPHEN in opere eximio, *Redevoering over het Ontwerp van Wet der Geldleening*. p. 196. Leyden 1826.

(2) Emolumenta, quae attulit hoc Institutum, ad summam ƒ 2000,000,000 aestimantur; debitum ejus postremis temporibus ƒ 82,000,000 effecit, verum Inventarium insigne sibi retinuerat. Ampl. V. ALPHEN, l. c. 77.

municatio plane impediretur, administrationis systema in India Orientali idem mansit, et administratio quidem ita se sustinuit ut e reditibus, quos aeque accurate principes et regiones praestabant, omnibus necessariis impensis satisfecerit (1).

Huic alia successit administratio, in multis priori quidem adsimilis, verum in eo diversa, quod moderatum et simplex Societatis systema nunc in aliud terribile, horridum et barbarum fuerit commutatum. DAENDELS qui hoc tempore (a 14 Januarii 1808—16 Maji 1811) rebus praeerat, gentis Batavae nomen apud Indos non tantum diminuit, verum talia media adhibuit, quibus universe omnium odium in se convertit (2).

Java insula caeteraeque Possessiones Batavae in India ab eo tempore ad Anglos transierunt, qui eas a 11 Septemb. 1811 usque ad 19 August. 1816 retinuerunt, et novum quoddam instituerunt administrationis systema, praeclarum quidem et liberalitatis et humanitatis principiis consentaneum, verum, ut infra videbimus, in multis omni efficacia destitutum, quum hoc systema temporis intervallo indigeret, priusquam emolumenta credita adferre posset: non systema, sed administrationem reprehendo. Plurima antiquae administrationis principia delerunt, nova quaedam introduxerunt, sed et nonnulla retinuerunt. Pacto 13 August. 1814 possessiones recepimus, quas Angli occupaverant. Ab hoc tempore novus ab integro saeculorum ordo natus est. Delegati, qui a rege in Indiam missi fuerant, Anglorum systema retinuerunt, multaque paulatim emendarunt, quae vitiosa et corrupta videbantur. Verum ab a°. 1816 usque ad annum 1824 haud magna emolumenta e coloniis Indicis in Metropolin redundarunt, quum commercium Batavum in India aliarum gentium concursu infirmatum esset, et continua bella in diversis possessionibus insignes impensas et subsidia requirerent. Postea quoque gravissimum istud bellum in Java insula, impedimento erat, quominus ista commoda perciperentur, quae merito a liberali eaque prudenti administratione exspectari possent.

---

(1) Ob calamitates, quibus Metropolis eo tempore adflicta erat, dubia plane haerebat possessionum Batavarum in I. O. conditio, quae quoque debilitatae essent ob insignem Anglorum potentiam in Indiae continenti, et ob detrimenta, quae universe bellum Anglo-Americanum et rerum conversio in Europa attulerunt.

(2) DAENDELS suam administrationem conscripsit: *Staat der Nederlandsche O. I. Bezittingen in de Jaren* 1808—1811. 's Gravenhage 1814. f°.

PARS PRIMA.

DE COMMERCIO BATAVO IN INDIA UNIVERSE. DE COMMERCIO ET INTERNAE ADMINISTRATIONIS FORMA POSSESSIONUM BATAVARUM IN ARCHIPELAGO INDICO. DE COMMERCIO IN INDIAE CONTINENTI.

SECTIO PRIMA.

§ 1.

De commercio Batavo in India universe.

Ab antiquissimis temporibus merces Indicae et quaecunque ista regio fertilissima profert, ad alias mundi partes deportata sunt, et insigne semper iis fruendi et utendi exstitit desiderium. Progrediente humanitate et cum ea navigationis studio, majus inter populos exortum est vinculum. Indiae peninsula juxta Gangem omnis generis merces Asiae occidentali et Europae praebuit, unde Phoenices et Aegyptii eas emere consueverant. Romani, qui multas regiones subegerant et plenum quasi in India Orientali commercium nacti erant, non tamen diu his emolumentis usi sunt, quia brevi post orbis Christiani communicatio cum India deleta fuit, propter insignes religionis Muhamedanae progressus, et Arabum potentiam (1). Califae, qui ad Indiae peninsulam penetrabant, religionem et arma ubique circumferebant, et usque ad Aromatum insulas pervenerunt. Horum imperium celeriter propter discordias intestinas evanuit, et Turcae in Arabum locum successerunt in dominatione Asiae occidentalis, sed commercium Indicum ad *Arabes* transiit.

Ad finem saeculi XV *Lusitanorum* navigationes magnam introduxerunt mutationem, ita ut nunc istud commercium ad Europaeos perveniret. Aegypti Imperator frustra contra Lusitanos arma tulit, ut et Aegypto capta, Turcae: hi Muhamedanos in posterum ab omni cum India commercio excluserunt.

Lusitanorum imperium unum perduravit saeculum.

Angli, Galli et inprimis *Batavi* postea magnam in India

(1) William Robertson, *an Historical disquisition concerning ancient India*, 53.

nacti erant potentiam, ibique firmam imperii sedem fundaverant. Gallos saepius regiminis forma et nationis indoles impediebat, quominus in aliis mundi partibus commercium extenderent, quum bella civilia et expeditiones, quas in Indiae occidente tentaverant, Anglos prohibuissent, ne hunc finem consequerentur. Serioribus temporibus haec natio in India tale formavit imperium, quale nullus unquam populus habuit.

Populi juxta Gangem magnam in commercio et navigatione peritiam sibi comparaverant, et Batavi in primis expeditionibus incolas paratos invenerunt, ad recipiendos tales hospites, quibuscum commercium agere possent. Batavorum in his artibus doctrina multum simul contulit, ut tam celeriter apud Indiae reges pacta inirent, quibus potissimum eorum commercium nitebatur. Hujus commercii forma et nova fuit.

Nonnullae nationes Europaeae, quae Indiam visitarunt ibique commercium propagare studuerunt, initium fecerunt ab exstruenda societate quadam, quae a Metropoli jura et privilegia accipiebat. Lusitanorum in India commercium ad solam pertinebat civitatem, et cuique jus commercii agendi patebat. Rex cinnamomi, piperis et aromatum commercium sibi tantum retinuit.

Batavi primi fuerunt qui talem societatem instituerunt. Hoc institutum temporibus convenit ita, ut alio modo vix illud commercium consistere posset. Conditio in qua tunc versabantur, cum quoad rerum statum, tum quoad commercium quale in India actum fuit, hanc societatem utilem fore promisit. Unica expeditionum ratio erat commercii in his Indiae partibus extensio: commercium absque tutela et defensione exsistere nequit: civitas quae magnis adhuc laborabat difficultatibus propter belli Hispanici effectus, hanc tutelam dare non potuit: diversae mercatorum expeditiones et consociationes multiplices, damnosae fuerunt: privati, cum dominatione Lusitanorum parvo quo muniti erant praesidio, certare et cômmercium agere non potuerunt: caeteris Europae populis multis belli calamitatibus aliisque difficultatibus occupatis, nullam competitorum concertationem metuebant Batavi, ita ut si umquam, ea tempora aptissima judicarentur ad consilium exsequendum.

Multi auctores, hoc Institutum damnosum coloniis et civitati existimant, verum si recte rem indagemus, i. e. veram harum societatum naturam spectemus, videbimus ista vitia, quae alii istis societatibus adtribuerunt, nequaquam cum earum Instituto esse conjuncta, et quatenus ad commercii effectus pertineant, eas multis saepius se commendare nominibus, ita ut ea quae infructuosa existimantur, his tamquam gravioris momenti opponi possint.

Verum Dissertationis ratio requirit, ut breviter exponamus,

quo modo societas Batava commercium Indicum gesserit, et in quantum sua et civitatis commoda amplificaverit. Quem in finem indagare liceat, qualem mercaturam sibi elegerit.

Lusitani magnam ac potentem civitatem condere, nostra societas mercaturas in Asia facere constituerat; non tales loci a nobis eligebantur, qui fertilitate soli aut velut regni cujusdam claustra clari erant, sed apti portus et opportuna emporia ad pretiosas merces Indicas acervandas. Igitur nostrum erat eximium quoddam commercium ac per nos inde ad Europaeos illae res importabantur, quae hominum luxuria pro necessariis vitae instrumentis habere coeperat. Societas Batava commercii contractus cum diversis principibus Indicis facere tantum tentavit, aliis populis exclusis. Quamvis primis temporibus haec mercandi forma quibusdam se commendaret nominibus, eam tamen universe perniciosam esse, sana docet disciplina Politica. Verum quidem est, iis temporibus hanc disciplinam adhuc incultam jacuisse, tantos tamen eo tempore progressus eam jam fecisse, manifestum est, ut societatis administratores, ab hoc systemate exclusivo quidem paullatim recedere potuissent. Nam societas cives i. e. populum excludebat, et quomodo hoc utile sit, populum nimirum, a prosperitate excludere, equidem non video (1). Praeterea semper fructuosum est ut ad mercaturam omnes eos admittamus, qui eam sive directa sive ratione indirecta augere possunt. Quo plures sunt qui emere capiant, eo plures merces venditionis spe parari possunt. Omnes peregrini quos e commercio Indico excludere tentavit societas, quoque suas merces et industriae objecta adferre poterant et cum aliis proventibus permutare, ita ut sic et inde emolumenta redundare possent. Etenim nil est quod magis procreationi inserviat, quam si plurimae adsint opportunitates, quibus res procreatas permutare possimus aliis rebus, quibus caremus quasque nobis comparare desideramus.

Verbo quoque memorandum est, societatem in India durante saeculo XVII, potissimum nihil aliud condidisse nisi *stationes mercatorias* (2), quae mercaturae causa tantum instituuntur.

(1) Recte enim animadvertit ROBERTSONIUS, *History of America:* «Under the restraint and oppression of a monopoly the spirit of discovery languished.» p. 17.

(2) Recte Consult. DEDEL in *Dissertat. Inaug. de Coloniis* (Lugd. Batav. 1826) p. 11. dicit; *stationes* sive ad Mercatorum sive ad Institorum commodum conditae sunt, naves in portu defendunt et eos adjuvant, qui post reduces naves ad merces comparandas remanent sive amicitia cum indigenis duraret, sive, quod incerto rerum statu non raro accidebat, contentiones cum Indis ortae essent. Hujusmodi *stationes* simul cum mercatura creverunt: huic enim inserviebant, non vero agrorum culturae aut tributis indigenis imperandis. Cf. insuper D. V. HOGENDORP, l. mox citando p. 8. qui animadvertit Batavos, florente societate tales stationes habuisse *a mari rubro* inde usque ad *Japoniae* et *Chinae oras*.

Postquam autem pactis et conventionibus nonnullae insulae et regiones pleno jure ad dominationem societatis transiissent, hae stationes perierunt, et ***possessiones territoriales*** factae sunt (1). Sic v. c. Java insula, ubi primis temporibus Bataviae statio mercatoria erat, postea cum vel bello vel politicis artibus societatis imperio obsequeretur, possessio territorialis facta est. Quamvis nonnulli dominium societatis in Java nullum dicere voluerunt, manifestum tamen est, eam imprimis in iis regionibus, quas pleno jure ei cesserunt principes, vel quas in debiti compensationem accepit, domini i. e. principis jus exercuisse, et cum agris et incolis ita egisse, ac si revera dominium in eos ipsi competiisset. Quae quum ita sint, revera mirum videri potest, quod societas nullam fere curam habuerit industriae neque ulla subsidia excogitaverit, ut populorum conditionem emendaret. Ea emendatio paullatim facienda et instituenda erat, verum si semel instituta fuisset non dubium peperisset eventum. Et sane confitendum est post tam longam annorum seriem sub Batavis, beneficio regiminis moderati et temperantis, non ita profecisse Indiae populos, quam potuissent et debuissent. Verum quidem est, omnem mutationem apud populum in humanitatis infantia adhuc degentem, non nisi sensim sensimque procedere; sed ne quidem ulla mutatio exstitit, nam in omnibus fere societas internarum rerum administrationem in iis regionibus conservavit, quas sibi subjecerat. In aliis, ubi tantum foedera et conventiones inire potuit, pretium mercium determinavit, quod, quantum procreationi noceat, explicare supervacaneum est. Haec procreatio multis limitibus coerctata fuit, et sana politica ratio docet, quo major mercium copia sit quam homines desiderant, eo majorem etiam fore copiam, quam homines qui earum procreationi operam navant, in forum adferre conentur.

Haec videbantur reprehendenda: quod societas Batava non tantum exteros sed et peregrinos e communi commercio Indico excluderet; quod industriae curam non habuerit, sed tantum spectaverit ea emolumenta quae illi certa erant.

Societas paucis iis subsidiis usa est, quae invenit. Systema ad tempora non accommodavit, neque ea firmitate gavisa est, quam a tali insigni mercatorum congregatione exspectaveris. Consilium quod sibi societas proposuerat revera bonum erat, verum systema

---

(1) Haec imprimis ad Moluccenses Insulas pertinent et Javam, ubi societas insignem exercebat auctoritatem. In aliis enim Insulis sive regionibus, ubi ejus potestas limitata erat merces, pretio condicto accipiebat, adeoque culturae curam habere non potuit. Cf. D. VAN HOGENDORP, *Staat- en Handelkundige Beschouwing van het Coloniaal Systhema in Frankrijk.* p. 2.

nimiis angustiis circumscriptum fuit. Felici fortunae successu ducta, talia praebuit emolumenta, quae per se spectata, magna sunt (1) imprimis si respicias lucri faciendi opportunitatem, quam in India ubique fere invenit vel industria vel singulari virtute sibi comparavit. Si societas Batava privatorum commerciis Indiam patefecisset, commercii viam et totum systema secundum temporum vicissitudines accommodasset, et penes se tutelam et defensionem commercii Indici retinuisset, non dubium quin inde universe ad civitatem majora emolumenta pervenissent. Anglorum societas Indica quae quidem alias habet quibus praeest regionibus, privatorum commercium celeriter promovit, nihilque retinuit nisi commercium Chinense, omnemque tutelam commercii Indici tantum in se suscepit (2).

Hodie quum omnes peregrini et cives in colonias Batavas Indiae admittantur, mercatura omnes gentes conjungit, per eam industriae suae merces inter se permutant et consumunt omnes. Omnis mercatura libera procreationem auget, augendo consumentium numero, neque ullum dubium quin si patria mercatura imprimis promoveatur, et peregrinorum recipiendorum opportunitas non multis limitibus impediatur, commercium Indicum et civitati et populis Indicis insignia ac diuturna allaturum sit commoda et emolumenta!

§ 2.

De commercio in Europa.

Hoc commercium constabat ex proventibus, quos societas in India sibi comparabat, et quorum desiderium erat in Europa. Nullae merces sine summae gubernationis approbatione Bataviae in horreis condebantur, et administratio in Europa semper eligebat eas merces, quas ex India dimittere debebat societas: quem in finem quotannis indices accuratae (*eischen van re-*

(1) Quam insignia emolumenta Metropolis accipiebat, ex eo constat, quod illi pro *privilegii* renovatione 2 ad 3,000,000 florenorum solvere debebat: quotannis 4 a 6 milliones florenos pecunia numerata exportabat; 15 ad 20,000,000 fl. venditiones afferebant; societas dividenda distribuit ab a°. 1605—1648, 987 pCt. 22 usque ad annum 1684, 17 pCt. usque ad 1720; 27½ pCt. usque ad 1756; 20⅘ pCt. usque ad 1774, 15½ pCt.

(2) Ex hoc theae monopolio, maxime sustentatur societas Indiae Or. Anglica, nam ex mercatura privata nullum percipit lucrum. Illud privilegium, quod societati permissum est, Anglis quotannis 2,200,000 pondo sterl. constat: scilicet thea in Britannia ejus pretii duplo venditur, quo in America aut caeteris Europae regionibus constat, quamvis permutatio mercium Anglicarum in China efficiat, ut 15 pondo de centenis pretii diminuere possit societas.

touren dictae) confectae sunt et in Indiam missae, quibus mercium desideratarum quantitas descripta fuit. Haec commercii agendi ratio magis certa emolumenta, quam quidem justa et magna praebuit. Venditiones summam 18 millionum et ultra quotannis praebebant, et merces firmo et constituto pretio vendebantur pecunia numerata, vel etiam rerum necessariarum permutatione. Societas has merces sola in Metropolim importabat, nullus erat competitorum concursus, atque hoc unum sibi propositum habebat, ut merces in Europa magno pretio venderet. Coacta illa venditio tamen damnosa erat: nam unusquisque facilius pretio vili emere vult, et tunc majorem copiam sibi comparare. Si igitur societas ex foederibus majorem mercium copiam acquireret, quam in Metropoli desiderabatur, magnam earum partem comburere solebat, ut quae superessent pluris valerent. Verum haec mercaturae agendae norma prorsus eo nomine vocari nequit, sed immoderata quaedam speculatio est, quae incolarum divitias non augebat (1). Nam is qui quando merces abundant, eas emit, ut illas alio tempore vendat quando rariores sunt, is demum mercaturam agit, in qua mercatura lucrum oritur ex majore valore, quem rebus temporum opportunitates addunt. Qui tales igitur res accumulat et acervat, donec homines iis egeant, iis novam utilitatem dedisse dicendus est, quamvis non ipse omne commodum solus capiat. Societas aliam viam ingressa, commoda ex praesenti tempore tantum capienda esse, satius existimavit, quam ea in aliud tempus differre. Immodicum mercium pretium ideo quoque effecit, ut mercium desiderium haud insigne esse posset; et quando caeterae gentes a mercatura alicujus coloniae excluduntur, unus tantum populus illi merces suppeditat, ac pretium nimium ei adsignat, nimium pro arbitrio lucrum sibi comparabit: inde major pecuniarum vis quam utile est in ea mercatura collocabitur, et ab alio usu, cui alioquin majorem utilitatem adferre potuisset, detrahetur. Hodie hoc commercium non amplius secundum publicas venditiones a societate propositas fit, sed unicuique liberum est, tales et tam multas importare merces quam ipsi libuerit, et quo major mercium copia ex India ad alias mundi partes deportatur, eo majus incrementum exoritur industriae, eo major erit prosperitas.

---

(1) Viginti anni post societatis Institutum, piper et caryophylli lucrum praebuerunt 700 pCt. Crawfurd, l. c. II. 138.

§ 3.

De commercio Batavo Europam inter et Indiam.

Expeditiones, quemadmodum exeunte saeculo XVI consociationum diversarum tutela in Indiam fuerant gestae, instituta nova ista societate plane fuerunt interdictae, ita ut Indicum commercium societatis dominium factum sit, omnibus aliis exclusis. Edicto Ordinum Generalium 6 Septemb. anni 1606, poena capitalis in eos constituta fuit, qui non adscripti numero eorum qui ad societatem pertinebant, in Indiam navigarent, adito Promontorio Bonae Spei vel per fretum Magellanum (1). Quod postea etiam Batavos spectabat, qui apud alias nationes officio quodam vel munere fungebantur (2). Aromatum importatio soli societati competebat (3) et multis Edictis ministrorum privilegium, quo revertentes in Europam quasdam merces suis sumtibus adferre possent, deminutum fuit, ita ut omnia commercii agendi jura arctissime a societate fuerint restricta, omnesque fraudes ab hac parte prohibitae (4).

De navigatione et de modo, quo antiquissimis temporibus acta fuerit, non multis verbis agemus, tantum memorabimus, eam valde imperfectam fuisse. Utebantur navibus quae simul ad bellum gerendum aptae erant, quod ideo fructuosum existimabatur, quia bella quae primis temporibus gerere debuit societas contra hostiles incolas, qui saepe a Lusitanis in Batavorum invidiam excitabantur, ut et locorum et regionum distantia et imperitia magnaque pericula propter piratarum multitudinem tale quid suadebant. Quod hoc tamen serioribus temporibus servaverit, postquam fere omnes regiones Indicae ita subjectae erant, ut societatis auctoritatem ubique agnoscerent, eaque ad jura defendenda plurimis locis, castella vel insignem militum copiam constituisset, merito inutile judicatum fuit. Navium numerus quas in Indiam mittebat societas erat 37, revertentes ex 30 constabant velis. Congregatio erat *Bataviae*, unde omnes in Europam navigabant, exceptis navibus *coffea* oneratis, quae ex Mocha adveniebant ut et seriori tempore Chinenses. Exportatio ex Europa in Indiam praesertim pecunia numerata constabat et quibusdam commercii objectis, quae minoris momenti erant. Aromata, gossypium, carbaseum, metalla, gemmae, caet. ex India in Europam importabantur. Verum, non possumus quin hoc loco animadvertamus,

(1) *Groot Placaet-Boek.* Dl. I. 548. Dl. II. 1323.
(2) Id. Dl. I. 550. et Edictum Anni 1632. (3) Id. Dl. II. 2464. (4) Id. ibid.

mirum videri, societatem mercium Europaearum desiderium apud incolas in India non excitasse, quum eae tantum ab Europaeis pro maxima parte desiderarentur (1).

Quamvis veritatis speciem prae se ferre possit eorum opinio, qui populorum Indicorum desiderium paucis constare objectis existiment, eosque invitos recedere a consuetudinibus Indorum animis tam alte infixis, tamen experientia hodierna satis ostendere videtur, incolas regionum Indicarum, talibus quoque delectari objectis, quae non tantum ad vitam necessaria sunt, verum quae luxus et solemnitatis causa sibi comparant. Angli, quorum peritia in rebus colonialibus revera insignis est, et quorum dominatio in India, aliis quidem nititur juribus et principiis, quam Batavorum, desiderium mercium Anglicarum manu-fabricatarum apud nonnullas hominum milliones excitare valuerunt, et satis superque ostenderunt, earum regionum incolas, quibus praeest Batava dominatio, idem habere desiderium. Quam insignes divitias inde sibi compararint, et quam multa detrimenta haec adtulerint mercatori Batavo, satis notum est. Si enim Europaearum mercium venditionem in India tentasset societas, Metropolis officinae et opificia magna quoque lucra inde accepissent. Coloniis necessitudo intercedit cum remotissimis regionibus, mercium importatio et exportatio hac necessitudine valde promoventur, et proventuum mutuorum permutatio Colonias inter et Metropolin navigationis et mercaturae Europam inter et Indiam fundamentum dici potest. E coloniis enim fructus terrae, e Metropoli merces manu factae mittuntur, unde satis patebit, quanto emolumento sint eae regiones, quae viam mercibus patriae patefaciunt cum lucro vendendis. Hae merces in iis Indiae partibus, ubi Bátavorum commercium floret, inter 15,000,000 homines dispersae, revera Metropolis cives incitabunt ad industriam extendendam. Crescens industria et cultura in Indiae mercium Europarum desiderium amplificabit, et Europaearum mercium advectio in India agriculturae incitamentum et incrementum erit (2).

Hodie, quum libera vigeat mercatura, et aliis quoque gentibus facultas data sit mercaturam in Indiam agendi cum possessionibus Batavis, dummodo majora quam nostrae solvant portoria, tamen maxima proventuum Indicorum pars, adhuc in Metropolin devehitur. Quod enim peregrini hodie adhuc a nonnullis regio-

---

(1) Imhof, *Consider. sur l'Etat present de la Compagnie Hollandaise des Indes Orientales*, Operi du bois, *Vies des Gouv. Gen.* adjectae. Tit. I.

(2) Durante societate Batava, nulli proventus rudes Asiae ab Europaeis desiderabantur: Exportationis objecta haud magni momenti erant: importata tantum e luxus, aromatum et linteorum nonnullorum objectis constabant.

nibus removeantur, v. c. Moluccensibus et Japonia, hoc quoad aromatum insulas tribuendum est principiis, quibus hodiernum systema mercatorium in India nititur, quod sensim sensimque hanc commercii formam emendare mavult, quam quidem repentina mutatione omnia commoda delere. Japonia, quae suis subest legibus, suoque obedit Imperanti, solos Batavos e gentibus Europaeis ad commercium admittit, ita ut peregrinorum remotio hujus Imperii institutis tantum tribuenda sit.

Societatis Batavae naves, 140 ad 150 pedum longitudine constabant, 600 usque ad 1000 onerum dolia amplectebantur (1). Hodie mercium transportatio ab 8 ad 10,000 onera aestimatur. Quo major necessitudo intercedat coloniis cum Metropoli, eo majora emolumenta ex mercatura Europam inter et Indiam emanabunt. Imprimis tamen excitari debet patria mercatura ejusque industriae objecta. Et si tum expeditiones in Indiam et ex India in Europam instituta sunt secundum commodum commercii universe, non poterit, quin certa quoque futura sint emolumenta.

§ 4.

De mutuo possessionum Batavarum commercio in India.

Mutuum harum Regionum commercium, revera magni est momenti, illudque nititur indigentia et mutua mercium copia diversorum populorum in India. Hujus commercii momentum sensim sensimque amplificatum fuit, postquam societas feliciter bella gessisset, et ubique fere insignem dominationis et commercii sedem fundasset. Quasdam enim regiones ita subjecit, ut immediate dominationi suae obedirent, in aliis ubi Principes sua jura partim retinuerant, magnam excercebat auctoritatem; in Indiae continenti necessitudinem cum indigenis, qualem eam a Lusitanis acceperat, conservavit. Praeterea, multa possidebat aedificia commercii causa exstructa, pauca tamen, ut Lusitani, loca munita, et commercium potius benevolentia et humanitate quam bellis extendere studuit. Mercatura intermedia, quae ante Europaeorum in India adventum, ab Arabibus gesta fuit, et postea a Lusitanis, nunc ad Batavos transiit, qui, Moluccensibus victis, et Lusitanis e plurimis Indiae locis dejectis, Javam insulam imperii sedem fecerunt (2). In hac mercatura

(1) Ab hac Imperii sede, *Bataviae* constituta, pendebant *Java, Amboina, Ternata, Ceylon* et *Macassar* praecipuae Commercii sedes, aliaeque *stationes mercatoriae* et *arces* quas in Archipelago et in Indiae Continenti, habuit societas.

(2) Crawfurd, *de Indische Archipel.* Vol. II. 142. dicit societatem Batavam, ab a°. 1614—1730. quo tempore ad summum prosperitatis fastigium pervenit, non

intermedia, jam mature Chinenses, insignem habebant partem, quam a societatis officialibus, qui litteras sospitis itineris dare debebant, petebant: his litteris mercium quantitas et qualitas accurate descripta fuit. Moluccenses tamen societas sibi reservavit, ita ut omne aliorum cum his commercium severe prohibitum fuerit. Mutuum possessionum Batavarum commercium in India hodie majora accepit incrementa: fabricata et merces Europaeae fere ubique apud hos populos desiderantur. Horum populorum indigentiam excitare sane suadet doctrina politica, nullumque dubium, quin aliquando administrationis systema, quod hodie in India viget, incolas inter et Batavos talem contrahat necessitudinem, quae non nisi praeclara promissura est emolumenta.

Ea, quae in commercii agendi ratione societatis Batavae, reprehendenda erant, proposuimus: hoc, non eo fecimus consilio, ut vitia tantum adnotaremus, relictis iis quae summis ornari debent laudibus; contrarium ipsa haec Dissertatio satis probabit. Societas Batava in multis praeclare ostendit, se ea gaudere prudentia, quae imprimis necessaria est administrandis populis adhuc in humanitatis infantia degentibus, verum, contra quoque probavit, damnosum esse, nullam curam habere et temporum et vicissitudinum, iisque supersedere commodis, quae quum omnium communia esse deberent, sua propria esse existimavit. Veteris systematis reliquiae, quae hodieque in commercio et administrationis forma obtinent, universe tamquam generalis regulae exceptiones, spectandae sunt, quae adhuc conservantur donec tempus opportunum earum abolitionem utilem fore suadeat: nam et hoc docte animadverterunt nonnulli, fieri non posse, ut inveteratum quoddam principium uno temporis momento deleatur, quod duorum seculorum experientia nititur. Jure igitur exspectandum est, ut administratio, ea impedimenta sensim sensimque tollat, quae hodie, coloniarum gubernandarum doctrinae adversantur.

---

ultra 1621 naves, ex India in Metropolin misisse, quod quotannis 14 naves efficit: quae si vera sunt, cum hodierna navigatione ea tempora vix comparari possunt, quum hodie ultra centum naves in Indiam navigent, et inde revertantur.

SECTIO SECUNDA.

§ 1.

De commercio et internae administrationis forma Possessionum Batavarum in Archipelago Indico.

Indiae Orientalis conditio, cum quae rerum administrationem, tum quae commercium spectat, ab Europaeis imprimis mutata est. Commercium jam antiquissimis temporibus longe lateque patuisse, ex descriptionibus manifestum est. Agricultura et Industria, in nonnullis regionibus jam insignes fecerant progressus, et ubique merces Indicae vendi solebant. Sic *Malacca, Achemum, Bantamum,* Archipelagi Orientalis emporia erant. *Sumatra, Borneo* et *Moluccences,* cum Insulis circumjacentibus quoddam agebant commercium. A mari Rubro inde usque ad Japoniae regnum, naves conveniebant ex omnibus Asiae regionibus. In primis expeditionibus, jam ea usi sunt fortuna Batavi, ut pactum quoddam cum Principibus inire possent. Quum vero Societas magna afferret praesidia, quibus commercium extendere poterant, celeriter in plurimis Indiae regionibus quamdam nacti sunt auctoritatem. Commercium cum Principibus inierunt *pactis* vel *foederibus* sancitum sibique reservatum, *exclusis omnibus aliis.* His foederibus Lusitanos aliosque aemulos de possessione mercaturae communis dejicere annitebantur. Sagacitas, prudentia et mercaturae peritia imprimis eo contulerunt, ut talia pacta inirent, quibus semper Principis et incolarum jura et privilegia continerentur et a Societate defenderentur contra hostes: sed etiam tale commercium, quod Societati omne et perfectum jus tribueret, omnes aemulos, omnem fraudem impediendi et merces, quas istae regiones prae aliis praebent, iis tantum vendendi, pretio a Principe statuto et a Societate probato. Contractus et foedera hunc tantum finem spectabant, ut Societas emtionis pretium diminuere posset, et Monopolium tueri. Agriculturam nullo modo sibi propositam habuit; stationes mercatorias tantum in diversis Archipelagi Indici regionibus sibi comparare studuit.

Illa pacta plerumque ejusmodi erant, ut Societas simul in istis regionibus magnam excerceret auctoritatem, respectu aliarum nationum: quum privilegia, a Principibus sibi reservata, vel tertio cuidam concessa, potius tamquam *pacta conventa* vel tamquam propria quaedam regiminis forma et internae administrationis constitutio aestimanda sunt, quam tamquam jura, quae Principibus potestatem

et facultatem darent, sua auctoritate, absque societatis Batavae consensu pacta ineundi vel foedera pangendi cum aliis nationibus (1).

Prudentia ista civili, Societas Principum jura et commoda intacta servavit. Internam rerum administrationem ipsis Principibus reliquit, nullas in eorum consuetudinibus et legibus mutationes induxit, sed regiones sibi foedere concessas, suis ordinavit institutis. Recentioribus temporibus, restaurata Batavorum dominatione in India, cum plurimis regionibus eosdem contractus renovavimus, quos tamen ad tempora accommodavimus; ita ut plurimi Principes et regiones in Archipelago Indico hodie iisdem regantur legibus, nostra auctoritas iisdem plane nitatur juribus et conditionibus, verbo, tota systematis Politici et Mercatorii forma iis fundata sit conventionibus, quas antea societas Batava cum diversis Principibus et regionibus inierat.

Rationes, quas Batavi cum istis Principibus et Regionibus in Archipelago Indico contractas habent, diversae tamen sunt 1° ratione Principium et Regionum, quae pleno jure Batavorum dominationi subsunt. 2° Ratione Principium et regionum, quas subegit dominatio Batava, sed quae nonnulla jura sibi reservarunt. 3° Ratione Regionum, quae suis subsunt Principibus, verum rationes cum Batavo Imperio contractas habent. De singulis videamus. Imprimis adtendamus, qua ratione, singulas possessiones sibi vindicaverit imperium Batavum, qualem administrationis formam introduxerit, et qualia subsidia adhibuerit, ut industriae et commercii commoda augeret.

§ 2.

De rationibus, quas Batavi cum diversis Principibus et Regionibus in Archipelago Indico contractas habent.

HOUTMANNUS, primus fuit e Batavis, qui in *Sumatram insulam* adpulit, in cujus propinquitate a°. 1599 vitam crudeliter amisit. A°. 1601 in Sumatram venerunt delegati viri Ampl. DE ROY et BIKKER a MAURITIO Principe ad Achemi regem missi. Lusitani, a nostratibus SCHUURMANNO et SPILBERGIO ducibus Sumatra ejecti sunt. In *Atjeth* societas Batava sedem mercatoriam condidit, sed postea *Padangam* se contulit, cujus regiones circumjacentes pleno jure ei cessae fuerunt, secundum pactum a°. 1669 cum Atjeth Principe contractum (2).

---

(1) Vid. Ampl. J. V. D. BOSCH, *Nederlandsche Bezittingen in Azia, America en Africa.* Tom. I. p. 3.

(3) LUZAC, l. l. Vol. I. 248. 270. V. D. BOSCH, l. c. Vol. II. 47.

Possessiones Batavae in *Sumatra* insula sunt sequentes: *regnum Menangcoboense,* quod in media insula situm, versus Orientem in regionibus superius sitis incipit a monte *Ambadjang*, et a°. 1821 et seq. ad dominationem Batavam transiit. In Occidentali insulae parte, *Baros, Tapanoely, Priaman, Padanga,* quibus regionibus postea accessit *Bencoulen* regio, quae ante Anglorum dominationi suberat, sed a. 1824 foedere ad nos transiit. *Lampongs* in Meridionali insulae parte, a rege Bantamensi societati Batavae sub sequentibus foederibus imperio hodierno addictae sunt. In orientali insulae ora, *Palembangae* imperium est, cujus Sultanus jam ante (1) sed praesertim recentioribus temporibus, post bellum a. 1821 feliciter terminatum dominationem Batavam agnovit, et jurium partem cessit. In parte Insulae occidentali, *Padanga* praecipua sedes est. Hujus regionis possessio et dominium satis superque ex eo probatur, quod saepe imperium Batavum, regiones circumjacentes vendidit vel privatis concessit. Interiora tamen nullam cum Europaeis societatem contraxisse, adeoque diversum constituere regnum, ex eo conjicio, quod non liqueat, incolas harum regionum ullum Batavis tributum solvisse, neque eorum juribus subjectos fuisse. Bellum ante nonnullos annos in his regionibus exortum, et sagacitate ducis celeberrimi DE KOCK ad finem perductum, nostram in his regionibus potentiam confirmavit. Ultimum foedus *Londini* contractum, Regem nostrum inter et Britanniam, certos possessionum nostrarum fines constituit in hac insula, cujus pacti art. 9, statio mercatoria et castellum *Marlborough* (a. 1714 aedificatum) et omnes possessiones Anglorum in Sumatra insula nostro ceduntur imperio, idque in locum *Malaccae* aliarumque regionum, quas in oris *Bengalensibus* et *Coromandeliis* possidebamus (2).

Prope Sumatram, sita est *Banca insula,* a qua separatur freto Bancae. Haec Insula Palembangae suberat, nunc vero pleno jure nostrae adjecta est dominationi.

---

(1) Quum Palembangae provinciae et reliquae in hac insula regiones, restaurata Batava dominatione ab Anglis nobis traderentur pacto 1814, imperium Batavum pacta ganoscere noluit ab Anglis cum principibus inita, ita ut insignis inde lis Batavos inter et Anglos exorta sit, in qua priorum sagacitas vicit. Palembangae sultanus a°. 1811 a contractu recedere voluit omnesque Europaeos interficere jussit, quam perfidiam ita vindicarunt Angli ut illum regno dejicerent fratremque in ejus locum constituerent. Cum hoc foedera panxerunt, quae regis dominationem firmarunt, quum Angli nullum jus exercerent in rerum internarum administrationem, verum Princeps iis tantum subjectus esset. V. D. BOSCH, l. l. Vol. II. 58. *Asiatic Journal.* Febr. 1819. 206—215. quousque dominium Batavum in his partibus se extendat difficile est definire. NAHUYS, l. l. 49.

(2) *Wet waarbij goedgekeurd wordt het tractaat met Gr. Britt. gesloten omtrent de wederzijdsche belangen en regten in Indie.* 18 Junij 1824. art. 10. Staatsbl. n°. 39. vid. infra.

Possessio Batava *Riouw* insignis facta est momenti post Malaccam amissam. Haec insula, ut et caeterae circumjacentes, Sultano *Lingini* subsunt, ex Johorae familia, cujus regionum pars quaedam, Sincapourae Sultano delata est, pacto a. 1824 cum Anglis inito. Societas Batava seculo XVIII contractum quemdam cum harum Insularum Principibus inierat, quum a. 1756 Bouginaei quidam, regionem occuparent, et eam nanciscerentur auctoritatem, ut Sultanus iis regionis partem cedere cogeretur. Ista fortuna excitati, Batavis bellum indixerunt, sed eo cum effectu, ut hi a. 1784 *Braamium* praefectum cum 15 navibus *Riouw* mitterent, qui die 2 Nov. ejusdem anni reges subjecit, foedus panxit, quo praeter alia commercii privilegia, Societati plenum harum in insula regionum jus et dominium delatum est, ut et si Princeps decessisset, jus successoris eligendi (1). *Sincapoura*, quae legitima ratione nostra erat, injuste in Anglorum transiit dominationem, qui cum Johorae Principe et piratarum praefecto pactum inierunt, et se hujus regionis dominos constituerunt (2).

In *Borneo insula* jam a. 1608 *Succadanae* stationem mercatoriam aedificaverant Batavi: verum postea, propter incolarum perfidiam, hanc insulam deseruerunt, postquam omnes conatus infelicem habuerant exitum. A. 1770 regnante Pontianacae ABDUL RACHMAN, qui vicinas regiones imperio suo adjungere studuit, Principes regis Bantamensis auxilium implorarunt, cui insuper subjecti erant. Is quum eorum voluntati satisfacere non posset, a. 1778 cum societate Batava contractum iniit, quo illi Succadanae imperium cessit. In hac rerum conditione Societas satius existimavit, Principem ABDUL RACHMAN in suo confirmare imperio, eique Pontianacae regimen cedere, sed penes se jurisdictionem in Javanos, Chinenses aliosque retinere.

In *Banjermassinga* Provincia, quaedam quoque jura exercuit societas Batava, pacto 1787 (3). Banjermassingae Principem tamen quaedam sibi reservavisse privilegia et jura, ex eo manifestum, quod quum societas se internae rerum administrationi inmisceret, eique dum in angustiis versabatur, quasdam regiones adimere vellet ad piperis culturam extendendam; is hujus culturae nullam habuit curam, quae inde ita vehementer diminuta est, ut societas expensas resarcire non potuerit, et haesitaverit, num hanc relinqueret possessionem: donec omnia Sultano jura restitueret,

---

(1) Cf. C. J. W. DE HOGENDORP, *Coup d'oeil sur l'Ile de Java et les autres possessions Neerlandaises dans l'Archipel de Indes.* 353. 354. (Bruxelles 1830).

(2) NAHUYS, *Brieven over Bencoolen, Padang*, etc. p. 236—238. (Breda 1826).

(3) Vid. *Secreete Resolutien van de Hooge Regeering van den jare* 1786.

qui eandem renovavit necessitudinem et a. 1797 insignem piperis quantitatem iterum praebuit (1). Durante Anglorum administratione, hic Sultanus sub eorum auspicio vixit, sed restaurato Batavorum in India imperio, regnum ob turbulentum Principis animum multis implicitum fuit difficultatibus, ita ut a. 1819 multa adhibuerit praesidia, ad confirmandam suam auctoritatem. Possessiones territoriales nostrae in hac insula constituunt *Mantani* et *Succadanae* imperium, ut et *Banjermassingae* provinciae quae Batavo imperio subsunt, sub nomine *Pontianacae-praefectura* in parte insula occidentali, meridionali et orientali, cujus caput est *Banjermassinga.*

In *Celebe insula*, a. 1607 societas Batava sedem mercatoriam fixerat, verum eam cito deseruit, propter incolarum et Lusitanorum perfidiam. Lusitani ad annum 1660 in hac insula remanserunt. Ab a. 1654 Batavi eum Celebes Principe in odio vixerunt, cumque accusarunt, quod Amboinenses seditiosos in eos concitare tentasset. A. 1660 repente eum aggressa est societas, eumque ad pacem coegit, quae ad annum 1665 perduravit, quo Macassari rex naves in littore ejectas spoliavit, arcem eorum *Jompandam* priori conventione acquisitam expugnavit, permultos crudeliter trucidari jussit et damnum resarcire noluit: quibus rationibus commota societas, auctore CORNELIO SPEELMAN a. sequenti ad hanc insulam insignem classem misit, quae pacem restituit et pacto ansam praebuit, quo societas plurimarum Regionum et Principum tutelam accepit, eique maxima insulae pars concessa est, a littore *Boeloe-Boeloe* in *Bony* Sinu, usque ad *Toratam* regnum: a limitibus hujus regni ab altera parte, fere usque ad *Tanetten*, tota regio passim ad interiora usque, sub ejus dominationem venit. *Soping* excepta, festilissimas regiones possidebat, insignem incolarum numerum et plurimos Principes sibi subjectos habebat. Sub Societatis administratione in regno Macassarensi quidem quousque pateant fines, conventione cum Principibus Celebensibus facta, haud definitum est (2). Hoc pactum (a. 1667 initum et a. 1728 renovatum est) in genere *Pactum Bongayicum* vocatur, a villa ejusdem nominis, juxta Celebis caput sita. Regiones, quae commercium habuerunt cum imperio Batavo, sunt in parte insulae Septentrionali *Menado*, *Gorontalo*, quarum prior pleno jure nostro subjecta est Imperio. Conditio hujus insulae, post restitutam Batavis in India dominationem, miserrima fuit. Bony incolae summum exercebant imperium: ex insulis, quae sub *Maro* positae sunt, cives nostri ejecti

---

(1) NEDERBURGH, *Verhandel. over de Vragen.* 79. 220 seq.
(2) VALENTIJN, *Macassarische Zaken.* Vol. II. sect. II. p. 143—147.

fuerunt: *Wadjo*, *Mandhar*, *Toratea* contractus violaverant, et omnia emolumenta ad se converterant. Decimarum proventus evanuerant. Talia reputans Gubernator VAN DER CAPELLEN, et necessarium existimans, ista imperio Batavo jura restitui, quae prioribus contractibus cum Societate Batava initis, nitebantur, ipse iter in has regiones suscipere decrevit edicto 14 Febr. 1824, quo accuratius de rerum statu cognosceret, talesque introduceret mutationes, quae saluti et commodis incolarum nostraeque dignitati convenirent. Ea quae imprimis ordinanda erant 1° sunt: mutationes, quas in contractibus cum Principibus necessarias duxit, et quidem peculiariter in *contractu Bongayensi* (1) 2° regni nostri, ut domini mutatio, aliaeque normae in rerum civilium et criminalium administratione. 3° Severior proventuum exactio regno debitorum, et commercii sublevandi necessitas, abrogandique ea quibus indigenarum prosperitas labefactabatur.

Contractus Bongayensis renovatio, tantum spectavit nostram inter et insulae Principes amicitiam, taliaque habuit consilia, quibus publica salus augeretur. Verum in omnibus tamen Batavo imperio fortuna non favit. Veteribus foederibus violatis, Tanettae Princeps quasdam Provincias Batavas occupabat, ita ut armis eum depellere necesse esset: ab altera parte, Bony civitates illicito modo nonnullos Celebes Principes vexarunt. In hac rerum conditione, imperium Batavum, Bony regnum potentissimum et antiquissimum socium agnovit, verum omnem dominationem illegitimam, quae reliquos Principes sibi obnexios fecerat, ei denegavit. Quum autem omnes Principes Macassarum venerant obsequii Gubernatori Supremo praestandi causa, Bony regina fratrem misit, cum quibusdam aulae ministris, qui tamen contractum subsignare noluerunt. Idem fecerunt *Loewoe*, *Soping* et *Wadjo* (2).

Immoderata Societatis Batavae liberalitas, qua paulatim regiones Principibus cessit, qui eas iterum incolis inhabitandas concedebant, effecit, ut paulatim sic quoque nostras possessiones occuparent, ita ut a. 1814, in iis plures indigenae quam Europaei

---

(1) Quanti momenti hoc pactum antea fuit patet ex seqq. *Deze verbindtenis*, sedert bij verscheiden gelegenheden bevestigd, kan men aanmerken als een der voornaamste hoofdzuilen van de zekerheid van onze Bezittingen in de Molucco's, zoowel in opzicht tot Europeesche als Inlandsche natien, gelijk het ook tot op dezen dag de grondslag is van de constitutie en het publiek bestuur der Maccassaarsche volkeren, en die der eilanden bezuiden *Celebes* gelegen, welker Koningen en Grooten zich sedert nog meerendeels bij afzonderlijke actens van onderwerping en vriendschap ten naauwste aan de Maatschappij hebben verbonden. NEDERBURGH, l. c. 132.

(2) *De Nederlandsche Hermes*, 1828. n°. X. 2e Jaargang. bl. 36. 3e Jaargang. p. 40. n°. VII. 19—24. *Publicatie van den Gouv.-Gen.* V. D. CAPELLEN, gegeven te *Macassar*, den 17 Julij 1824.

essent: priores majorem vim habentes, opera et proventus necessarios non praebebant: haec omnia ita mutata sunt, ut regionis Bony certi limites, locationes regulares, instituerentur et quaecunque ad praefectorum integritatem pertinent, ordinarentur. Mutatio necessaria in decimarum perceptione solito modo facta fuit, regulari proventus aestimatione, quum primum eo pervenisset, ut de ejus copia recte judicari posset. Quamvis hae mutationes, primis temporibus, infelicissimum habuerunt eventum, propter seditionem, quae in Bony Provinciis exorta in causis fuit, ut insignis militium copia a. 1825 eo mitteretur, sub auspiciis ducis sagacissimi VAN GEEN, tamen exspectandum, ut sequentibus temporibus, talia subsidia adhibeantur, quae arctius necessitudinem imperium nostrum inter et Celebis Principes contrahant, et jus, quo Batavi in his regionibus gaudent, definiant.

Anno 1598 Batavi primum *Moluccenses* (1) adierunt, duce VERHAEGEN, et liberaliter ab indigenis habiti sunt. Universe in occupandis regionibus Indicis, minus fortuna Batavis favit; sic et apud Moluccensium incolas, aversum repererunt animum, id quod gravissimis ansam praebuit bellis, imprimis adversus Bandanenses. E *Banda-insulis* a. 1603 Lusitanos Batavi ejecerunt. Continua bella per longam annorum seriem adversus harum insularum Principes et incolas gessit Societas, propter fraudes et in exsequendis contractibus perfidiam, ita ut a. 1681 fere omnes sibi subjecisset. *Amboinam Insulam* a. 1607 occuparunt Batavi et ex ea Lusitanos dejecerunt, qui eam ab a. 1511 jam adierant, ibique inde ab a. 1594 sedem constituerant. Verum neque hic sine molestiis aliquam auctoritatem sibi comparavit societas Batava. *Ternatae* Rex, frustra tamen Batavos depellere tentavit: Angli, omnia egerunt ut diminuerent nostratum apud principes fidem, quum in Amboina sic quoque in hac insula stationem mercatoriam haberent. A. 1638 regem Ternatensem inter et Societatem Batavam, pactum initum est, quod saepius renovatum fuit. A. 1663 Lusitani arcem suam deleverunt, et ab eo inde tempore, imprimis vero ab a. 1680 post felicem belli exitum, Ternatae Sultanus et magna *Giloloi* pars societati se subjecerunt (2). Hujus insulae occupatio necessaria fuit ad impediendas fraudes et ad securitatem reliquarum insularum Moluccensium. Moluc-

---

(1) Sub nomine *Moluccensium insularum*, eas intelligunt, quae aromata et imprimis nucem myristicam et caryophyllum praebent, ita ut in earum numero sint *Amboina*, *Banda*, *Ternata*, quae forsan magnitudine et fertilitate prae aliis excellit. Aliquando nomen generaliori sensu accipiunt, ita ut insulas comprehendat versus orientem *freti Sundani*.

(2) WILLIAM MILBURN, *Oriental Commerce*. Vol. II. 406.

censes hodie pleno jure Batavorum dominationi subsunt, qui quoque soli earum emolumentis gaudent. In Banda insula soli Europaei exclusis aliis populis dominium excercent. — Recentioribus temporibus Procurator–supremus DU BUS ditionem quandam, cum arce, in *Guineae* oris maritimis, Batavorum dominationi adjunxit. Societas Batava jam antea expeditiones in has oras miserat, quibus paulatim diminutis, sensim sensimque necessitudo cum his regionibus quoque perierat. Eo tempore, nonnullas sedes constituerat in *Arauw* insulis, sc. in *Wammer, Maykor* et *Oudser*. Quum Gubernator VAN DER CAPELLEN Moluccenses visitaret, duas iterum naves armatas misit, quae pristina ibi commercii vincula renovarent. Arx nuper constructa nomine DU BUS insignita est (1). —

In genere animadvertendum, in plurimis Archipelagi Indici Insulis quas supra enumeravimus, talem habere vim imperium Batavum, ut illi Principes qui Batavo imperio subsunt, sed suos Vasallos habent, plenum quoque in eos jus illi tribuerint, si peculiaribus foederibus sive conventionibus huic juri non derogaverint. Sic v. c. in Sumatra insula, ubi hodie soli Batavi post Anglorum (a. 1824) discessum, summum excercent jus, quoque 3ª insulae pars, quae *Battas* incolas septentrionales continet, Batavorum dominationi subjecta est, quamvis ibi administratio specialiter introducta non fuerit. In Celebe insula *Gorontalo*, quae regio Sultano subest, qui Batavo regno obedit (2), huic quoque imperio subesse videtur. *Mandhar*, inter septem principes divisa, *Sidereeng*, *Tanette* in parte insulae occidentali, *Louhou*, *Wadjo*, *Sopeng* versus septentrionem sinus Bonny, *Touratte*, *Boulecomba* et *Bonthain* et regiones *Australes* quae inter 12 praefecturas divisae sunt, minore vel majore jure ad Batavos pertinent, saltem antea Societatis Batavae imperium agnoverunt. In Celebes insulae propinquitate, quaedam insulae minores sitae sunt, quae ab ea pendent: sic v. c. insula *Saleyer* inter 5 principes divisa, dominationem Batavam agnovit (3). Et plurimae regiones Celebes, quae suis gaudent juribus, verum vel antea Batavorum, vel in bello a. 1814 Anglorum tutelae se tradiderunt, tamen hodie quoque principatum ubique Batavis detulerunt, earumque Principes Gubernatorem adierunt, quum a. 1824 Macassarum visitaret (4). E Moluccensibus, *Tidorae*, *Matjani*, *Mortiri* et *Bachiani* Principes, a. 1778 subjecti sunt, quorum Sultani in societatis Batavae ditionem venerunt. Insulae Javam inter et Timorem cum Batavis quoque quaedam pacta inierunt: ut v. c. *Baly*, *Lombock*,

---

(1) C. J. W. DE HOGENDORP, l. c. 381.
(2) C. J. W. DE HOGENDORP, l. c. 340. (3) Id. 343. (4) Id. ibid.

Sumbauwa, *Floris* et *Sumba*. In *Timore* insula Lusitani haud magnam orae septentrionalis partem occuparunt. Possessiones Batavae in parte Australi sitae sunt, quarum locus primarius est *Coupang*. Batavi a. 1613 Lusitanos ex hac insula dejecerunt, ibique arcem *Concordia* dictam construxerunt (1). Emolumenta, quae ex his Insulis administratio percipit, revera magna non sunt; sed recentioribus temporibus in earum nonnullis nova culturae genera introducta fuerunt. Gubernator supremus V. D. CAPELLEN a. 1824 cum nonnullarum insularum Principibus in Archipelago pacta renovavit, novamque introduxit administrationis formam; verum quatenus universe praeter possessiones, quae speciali curae et administrationi Batavorum subsunt, imperium nostrum auctoritatem excercere valeat in diversas partes harum regionum, specialibus pactis non memoratis, difficile confirmari potest.

Illae regiones vero, quae suis subsunt principibus, sed rationes cum Batavo imperio contractas habent, imprimis commercii necessitudinem cum nostro imperio contraxerunt, quae magis mutuis nititur necessitatibus, quam juribus vel conventionibus Batavis specialiter concessis. Verum ex his satis superque patebit, revera insignem esse auctoritatem, quam paullatim in toto Archipelago Indico sibi comparavit societas Batava, quamque recentioribus temporibus conservavit confirmavitque imperium nostrum. Videamus nunc, quae sit universe praestantia harum Insularum quoad soli proventuset commercium: quibus expositis, earum administrationem indagare liceat.

§ 3.

De diversis harum regionum proventibus, quoad commercium internum et externum.

Sumatra insula, tam soli fertilitate, quam proventuum diversitate, insignis est. Cultura tamen minores fecit progressus. Ora orientalis fertilior et frequentior est: sed incolae cum occidentali parte, nullum habent commercium, et quamvis in utraque Batavi possessiones habeant, nulla tamen inter utramque in rerum administratione intercedit necessitudo. Piper e *Lampongs* provinciis et Palembangae imperio sibi comparavit Societas, cujus proventus duae quotannis sunt messes, et cujus copia saepius 3,000,000 pondo erat (2). Aurum quoque inde exportatum fuit, ut et reliqui proventus. *Padanga* in occidentali Sumatrae parte, praecipuum

(1) WILLIAM MILBURN, l. c. II. 385. 386. (2) NAHUYS, l. c. 51.

emporium est. *Padangensis auri* imprimis desiderati, Societas quotannis 500 pondo exportare solebat (1). Tributum importationis vel exportationis, erat 5 pCt. Mercatores indigenae aurum ceratiorum 22 vel 22½ deferunt. In agris Padangensibus una tantum in *Selidone* regione auri-fodina exstat, quae per aliquot tempus elaborata, postea ob parvum emolumentum, missa facta est. Flumina quoque aurum volvunt (2). Praeterea, praecipuae aurifodinae sunt in *Tigablas Cottas*, *Songepago*, *Tongiabon* et *Sipajong* (3). Piperis cultura hodie minus late patet, abrogatis operis servilibus, unde fit, ut incolae, natura ignavi, nunc fere nihil praestent, ita ut hujus proventus exportatio, quae ante nonnullos annos millionibus librarum constabat, nunc in tota regione ab *Indrapoura* ad *Ticonem* ne 50 quidem istius mensurae *pikol* dictae, quae vulgo 225 pondo continet, proferat: ipsa indigenarum consumtio nullius est momenti (4). Coffea quae postremis his annis quoque exportata fuit et quidem ad quantitatem 50,000 pik imminuta est, postquam pretium a 50 ad 12 et 13 florenos ceciderat: cui accedit, quod Americani, qui ad finem anni 1827 usque proventum in Metropolin deportabant, hodie non amplius adveniant. Inde quoque pecuniae numeratae copia et importatio diminuta est. *Gossypium* cedit isti quod profert Java insula. *Camphoram* e septentrione, in Japoniam mittebat societas. Praeterea in commercio adhuc desiderantur Benzoin, Cassia, aliique proventus (5).

Bencoulen, in Mocco Mocco, unicum fere et praecipuum emporium est. Exiguam piperis copiam praebet; quamdiu Anglis subjecta erat imprimis ejus exportatio ad Atchinenses se extendebat. Aromatum cultura minoris momenti est, 120,000 caryophyllorum et nucium myristicarum arbores habet, quorum 13,000 ad imperium pertinent, ita ut exportatio ad 100,000 pondo aestimetur (6).

Merces Europaeae partim tantum desiderantur. Sic v. c. lintea quibus indigent incolae a patriis textoriis officinis conficiuntur et aliorum concursum ferre possunt. Merces Chinenses tam Chinensium quam Europaeorum usui inserviunt, quae e Batavia, Malacca, *Prince* vel *Wales* insula et Sincapoura ad-

(1) William Milburn, l. c. Vol. II. 337.
(2) Nahuys, l. l. 75. 76.
(3) Milburn, l. c. 311. Radermacher in opusc., *Verh. v. het Batav. Genootsch.* Vol. III. *Beschrijving van het eiland Sumatra.* p. 36.
(4) Nahuys, l. c. 68.
(5) v. d. Bosch, l. c. Vol. II. 45. Nahuys, l. c. 51. 52.
(6) Nahuys, l. c. passim 14. 15.

vehuntur. Raffles, hanc insulam majori quam Java fertilitate gaudere, existimabat (1).

In *Banca* insula imprimis *stanni*–fodinae inveniuntur, quae a. 1711 detectae, a Chinensibus elaborantur, qui in hac insula magnam incolarum partem constituunt. Omne stannum, foedere anni 1777, societas sibi stipulata est, quum pacto 2 Junii 1722 Palembangae Sultanus jam convenisset, se Bancae insulae stannum Societaii Batavae per picol ad 10 imperalium summam praebiturum: idem jus hodie sibi retinuit imperium Batavum. Stannum in Chinam mittunt, ubi ad pios usus adhibetur, et illud praebet commodum, quod ibi loco pecuniae numeratae valeat (2). Palembangre Sultanus, non tamen aeque religiose pacta servavit, sed saepius privatis aliisque nationibus stannum vendidit; nihilominus tamen insula saepius 300,000 stanni pondo praebuit (3). Hodie stanni–fodinae imperii monopolium efficiunt, quum illi, qui eas elaborant, stannum pretio condicto praestare debeant. Annui reditus ad 30,000 pik. aestimantur, quae summae administrationis nomine Bataviam deportantur ibique ter per annum venduntur. Solutio pro $\frac{1}{3}$ parte in pecunia argentea et caeterum in unoquoque nummo prout emtoribus lubet, fit.

Riouw praeclaros profert proventus, ut: lignum navibus conficiendis aptum, oryzam, piper, imprimis *terram Japonicam* (4), cujus cultura jam insignes fecit progressus, verum partim diminuta fuit, post Gubernatoris decretum, quo insigne ejus importationi, tributum constituit in Javam insulam, ita ut pretium fere quinquies diminutum fuerit, et metus esset ne Chinenses, qui hic 12,000 numero sunt et hanc culturam promovent, eam omitterent. Ante hoc decretum, terra Japonica, quam exportabant, uno floreno per picol onerata est, et in Javam libera ab omnibus impensis importata. Quotannis ad 70,000 pik proventus aestimatus fuit ad pretium 12 ad 16 fl., post decretum latum vero, pretium ad 3 vel 4 florenos diminutum est (5).

Borneo imprimis *adamantibus*, *auro ferroque* abundat. Adamantium fodinae praecipuae, sunt in *Ambauwang*, *Banjermassinga*, *Pontianaca* et *Landaca* regionibus. Has elaborant

---

(1) *The History of Sumatra, containing an account of the Government, Laws, customs and manners of the native inhabitants, with a description of the natural Productions and a relation of the ancient political state of that Island by* William Marsden, Lond. 1783. 4°. Eschelskrons, *Beschreibung von Sumatra*, Hamburg 1781.

(2) *Asiatic Journal*, l. l. p. 206. Ampl. v. d. Bosch, l. c.

(3) Nederburgh, *Verhandeling* etc. 133.

(4) Nahuys, l. l. 224. et mercium valor. ab a°. 1819—1824. p. 229. unde patet eum paulatim auctum esse.

(5) C. J. W. de Hogendorp, l. c. 355.

Dajaces, Malaji et Chinenses (1). Pamanbahan hodie omnes adamantes, secundum conventionem, imperio Batavo praebet: quod eos emit, 20 pCt. infra pretium forense. Hi insuper in hac insula aestimantur, et emolumenta inter utrumque dividuntur. Haec conventio, medio anno 1823 inita, jam eodem anno 19,000 fl. praebuerat, quum ad procuratorem imperii Batavi 390 ceratia missa essent: a. 1824, 19,00 ceratia, quorum pretium primitivum 33,000 fl. erat, ad summam 52,000 fl. vendita sunt. Aurum, praebent *Sintang*, *Sangoa*, *Sambas* et *Landaca*. Ferrum ex interiore *Mantani* comparatur et in commercio magni est momenti. Agricultura in hac insula universe pauca praebet, quae mercium Europaearum permutationi inservire possunt. Oryza aliquando exportatur, verum saepius messis ne quidem internae consumtioni satisfacit. Saccharum Chinenses curant. Chinenses proventus pro mercibus Chinensibus permutant, et in Javam aliasque Indiae partes deportant (2). Internam hujus insulae conditionem investigare, paucis Europaeis adhuc licuit, ob sylvas et incolarum ferocitatem. Interiora Dajaces habitant, littora Arabes (sed hi pauci numero sunt) et Chinenses. Consuetudines et mores horum populorum, quae insuper nullam cum Europaeis necessitudinem contraxerunt, satis indicat eos in humanitatis quasi infantia versari, ita ut pars interior deserta potius, quam hominum frequentia exculta videatur. Multa eaque gravissima dissidia, quae ante nonnullos annos in hac insula obtinuerunt, effecerunt, ut minora manserint emolumenta. Sed quum haec insula fertilitate insignis sit, et proventus facile ab incolis elaborari possint, praetereaque opportunitas adsit permutandarum rerum pretiosarum ab incolis pro victu, quae illorum industriae faveat, unde et major exoriatur incolarum numerus, perspicuum est, hanc insulam omni cura dignam esse.

Emolumenta, quae antea ex *Celebe* insula sibi comparavit societas, nullius erant momenti, et universe adeo pauca profert, quae Europaeis inserviant, ut parum inde lucri exspectari queat. Verum illud fortasse in eo reputandum, quod indigenae qui caeteroquin in navigatione quosdam fecerunt progressus, nullum fere cum Eurapaeis contraxerant commercium. Leges, quae hujus populi barbariem produnt, manserunt, et societas mercaturae haud magnam

(1) Adamantium monopolium antea Societati Batavae ad summam 125,000 fl. cessum fuit. Ferunt apud Mantani regem adamantem depositum esse 376 ceratiorum, hunc tamen falsum nonnulli existimant. Vid. RAFFLES, *History of Java*. Vol. I. 239. in nota. *Verslag wegens de Nederlandsche bezittingen op de Noord-Westkust van Borneo*, (getrokken uit *Singapore Chronicle*) in de *Nederl. Hermes*. IV. Jaargang voor Septemb. 1829. n°. IX. 41. 44. 49.

(2) *Verslag wegens* etc. *Vervolg en slot*. 54. 55. n°. X.

curam habuit. Ita Macassar potius regio onerosa, quam fructuosa aestimanda erat, et fraudes ab omni parte commissae istud onus vehementer adgravarunt. Proventus, quos imperium acquirebat constabant in decimarum exactione, in tributis importationis et exportationis, aliisque oneribus (1). Hoc proventuum percipiendorum genus paullatim evanuit, et annis 1801—1808 quotannis ne 50 quidem praebuit onera (lasten).

Lucrum quod a primis temporibus Batavi ex Indico commercio acceperunt, imprimis debent *Moluccensibus*, fertilitate et proventuum pretiosissimorum copiâ insignibus. Harum mercium desiderium, per omnem fere terrarum orbem Moluccensium famam auxerunt, quarum possessionem per duo saecula sibi vindicare potuerunt Batavi. Inter proventus, primum nominandus est *Caryophyllus aromaticus* (de nagel) qui imprimis colitur in *Harouco*, *Larica, Saparoea, Hila*, regionibus. John crawfurd Caryophyllorum commercium, in 4 periodos dividit. Prima continet tempus, quo illud commercium agebant Arabes, Malaji et Chinenses, qui picol Caryophyllorum ad summam 8 piastrorum sibi comparabant. Hic et illic dispersi, post diuturna et periculosa itinera in Europaeorum transierunt manus, ibique, ut v. c. apud Anglos, picol summam 237 piastrorum effecit, quae summa fere trigecies pretium primitivum efficit. Secunda periodus continet Lusitanorum dominationem, quae tamen in Caryophyllorum commercio parum immutavit, quia Europa per eam has merces nancisci solebat. Tertia complectitur Batavorum et Anglorum commercium, qui cum mercatoribus Chinensibus, Lusitanis et Indicis universe concertantes, pretium auxerunt, ita ut a. 1619, picol summam $13\frac{3}{4}$ piatrorum jam valeret. Ultima periodus continet Batavorum systema aromatum exclusorium, ab a. 1681 usque ad nostra tempora (2).

Hoc Monopolium strenue vindicavit societas. Fraudibus saepius contra omnia in quae convenerant usi sunt incolae, insigne sita sibi comparantes divitias: hoc ut impediret aliud quaesivit remedium; quod tamen severi Monopolii conservandi testimonium praebet: jussit nimirum ut omnes proventus in Moluccensibus exstirparent, easque tantum in duabus collocavit insulis, *Amboina* et *Banda* (3). Ita

---

(1) *De Nederl. Hermes*, n°. VII. 3e Jaargang. p. 10—15. 1828. Decimarum solutio est jus, quod dominus habet in decimam culturae partem oryzae in suis agris provenientis, quod jus a primis inde temporibus in hac insula viguit. Cf. etiam *Nieuwe Amsterdamsche Courant* en *Algemeen Handelsblad*, n°. 199. 200. 215. imprimis 233. (anni 1832).

(2) *De Indische Archipel* etc. Vol. II. 256—259.

(3) Vid. *Conventie van* 1734. *Amboyna*. Arrhuysers, *Beknopte Beschrijving der O. I. Etablissementen*, 38. 39. Abundantium partem comburebat societas, ne nimia earum copia pretium vilesceret. Hanc speculationem, etsi magna fortasse

quidem concilio satisfecit et proventuum pretium ad certum eumque altum evexit valoris gradum, verum incolis quoque ea abstulit emolumenta, quae vitae securitatem confirmabant et quibus prae aliis omnibus in toto Archipelago gaudebant. Societas *Amboinam* in 4000 partes divisit, quarum singulas indigenis colendas dedit. Curam 50 arborum cuique mandavit. Horum numerus circiter 500,000 continet. Cujusque arboris proventus duo sive $2\frac{1}{2}$ pondo erat, ita ut omnes simul millionem pondo efficiant (1). Caryophyllum societas ex *Ceramo* in *Amboinam* transtulit, omnesque reliquas arbores exstirpari jussit. Primis temporibus, natura isti rationi reluctata est, quum ea universe sit Moluccensium fertilitas ut proventus absque hominum industria et cura exoriantur: sed postea identidem mittebat societas, qui diligenter inspicerent, an in exstirpationis fide manerent indigenae. Haec omnia prohibuit Illustrissimus VAN DER CAPELLEN, quum a. 1824 has regiones adiit, qui honor a tempore Gubernatoris VAN DIEMEN (1638) incolis non contigerat. Officia ab indigenis praestanda abolevit, (exceptis, quae publico usui et commodo inserviunt; quo casu tamen officia stipendiis necessariis remunerantur), aliasque abrogavit perversas consuetudines (2). Durante societate tam immensa subinde fuit copia, ut magnam partem combureret, ne pretium diminueret, omnes fraudes nobilium exilio, inferioris classis hominum morte puniebat societas, et tamen constat saepius nonnullos istis fraudibus insignes sibi comparasse divitias. Totus Moluccensium reditus Caryophyllorum hodie 700,000 pondO efficit. Quantum horum in Europa vendi soleat, pro vario desiderio aestimatur, certoque definiri nequit. — Praeterea Amboina aliis gaudet proventibus diversis, qui tamen magis internae consumtioni inserviunt, quam quidquam valent in commercio externo. Coffea et Isatis Indica non sine fructu hic introductae sunt. Sacchari cultura fortasse quoque feliciter procederet. De insulis circumjacentibus haec memorasse sufficiat (3), eas suis excellere proventibus imprimis vero *Ceramum*, insularum Amboinae adjacentium maximam et quoad fertilitatem praecipuam. Emporium est Amboinae, unde oryza, sago, aliaque ad vitam nenessaria proveniunt. In hac insula tam magna est plantarum et

---

commoda nostratibus adtulerit, divitiarum summam tamen minuisse censenda est, cum extantes deleret, improductivo, qui dicitur, modo.

(1) Id. ibid. 20. 21.

(2) Vid. *Publicatie aan de volkeren van Amboina, van Ley-Timor* etc. van den Gouv.-Gen. Baron V. D. CAPELLEN, gegeven te *Amboina* den 15 April 1824. C. J. W. DE HOGENDORP, l. c. 318 in nota.

(3) De his universe egit WILLIAM MILBURN, *Oriental Commerce*, Vol. II. 394 —402. passim. V. D. BOSCH, l. c. Vol. II. 95—108. passim. 163—168. C. J. W. DE HOGENDORP, l. l.

animalium diversitas, ut solum nulla interveniente hominum industria, abunde proferat, quae omnium usui sufficiant. In tanta rerum abundantia, in tam singulari naturae benevolentia, homines ne recte quidem iis uti scire, sane est quod miremur. Imo, si alibi certe hic humanitatis infantia imprimis elucet, ita ut magis brutorum naturae conveniat vulgaris ista incolarum agendi degendique ratio, quam quidquam humani habere videatur.

Banda-insularum incolae, nimirum illi, qui genuinam insularum stirpem efficiunt, pro maxima parte perierunt in bellis gravissimis. Hodie Europaei agrum colunt, sub quorum cura et auspiciis 2000 servi, insularum circumjacentium incolae, totam culturam perficiunt. Anno 1817 in Banda 1180 servi erant et 338 liberi, caeteri qui culturae inserviunt, erant delinquentes indigenae vel Chinenses (1). Praecipuus proventus constat *nuce myristica* (nootenmuscaat), quae plurimis Insulis occidentalibus olim propria fuit, verum Banda-insulis exceptis, ubique exstirpata est. Extra Archipelagum Indicum hunc proventum praebent Nova Hollandia, pars Peninsulae Indicae meridionalis, Cochin-China, Nova Guinea. Ceramum, Gilolo, Ternata, Amboina, Borne, nucem myristicam quoque procreant. Aeque ac Caryophylli aromatici, nuces nulli quoque apud incolas usui inserviunt. Insulae, quae has nuces praebent in diversas divisae sunt terras quas septa (*perken*) vocant (2). *Lonthoir*, harum insularum praecipua, 34 septa continebat. *Poulo-Ay* 31, *Neira* 2. Incolae has terras colendas accipiebant, nuces pretio condicto praebebant, eoque gaudebant privilegio, ut oryzam pretio primitivo e Java acciperent, servos minore pretio emebant et post quinquennium terrarum administratores eas sibi proprias acquirerent, qui tunc *Perkeniers* vocabantur. Septorum singulorum proventus antea quotannis 400,000 pondo erat hodie 600,000 (3). Hodie incolae Caryophillos imperio praebent, ad summam 20 stuv. per libram, 12 stuv. macis pondo, 8 stuv. nucium. Societas quotannis harum mercium lucrum ad summâm 1,500,000 fl. aestimabat. Septorum institutum, ad annum 1795 perduravit, quum postea Banda ad Anglos transiit. Rationes et causas hujus deditionis describere neque utilitatis neque amoenitatis quidquam habet. Praeter nuces, reliqui in hac insula proventus haud magni sunt momenti, ita ut imperium Indicum continuo illuc necessaria mittere debeat. Subsidia, a Gubernatore VAN DER CAPELLEN adhibita, quo tempore has regiones invisit, incolarum opera quoque sublevarunt, et industriae excitandae spem

---

(1) CRAWFURD, l. c. Vol. II. 276 in nota. (2) Id. ibid. 263.
(3) Id. ibid. 281. C. J. W. DE HOGENDORP, l. c. 332. 333.

non frustrata sunt, abolitis officiis et oneribus, quae durioris aevi institutum prodebant et hodiernae regnorum gubernandorum doctrinae adversabantur. Haec de proventibus, qui in commercio interno et externo imprimis valent; videamus nunc *de commercio ipso* diversarum harum regionum.

§ 4.

De commercio harum regionum.

Sumatrae commercium universe, et in genere *Palembangae*, insigne est imprimis cum Java, China, Malacca. Importatio ex opio constat, sale, saccharo, auro, ferro, aliisque. *Bencoulen* tamen in commercio ea emolumenta non profert, quae ejus situm et magnitudinem polliceri videntur. Plurima commercii objecta portoriis onerata sunt. *Padanga* cum plurimis circumjacentibus Archipelagi insulis insigne agit commercium.

Ferunt societatem quondam poenituisse, quod *Bancam* insulam commercii sedem sibi non constituerit, quia ea in plurimarum regionum Indicarum conspectu jacet et praeclara gaudet navium statione (1). Stanni-fodinae in hac insula, quae summi imperii sumtibus elaborantur et ejus dominium constituunt, praeclara quidem praebent emolumenta, verum a viro gravissimo haec quaestio proposita fuit, quid utilius esset imperio, haec domania propriis sumtibus conservare, quam locare vel vendere (2)?

Supra diximus possessionem Batavam *Riouw*, imprimis magni momenti factam esse post Malaccam amissam. Societas Batava, Malaccam ideo potissimum occupavit, quia quasi clavis est insularum et regionum, versus Sumatrae Orientem jacentium, et pleraeque naves vel per Sundae-fretum vel per Malaccense navigare solent: postremum vulgo transire solebant naves Japanenses et Chinenses. Naves Chinenses, quas vulgo expediunt Angli, quaeque per Indiam in Chinam navigant, fretum Malaccense trajiciunt, quod et faciunt naves in Cochin-Chinam, Siamum, Suratten, Persiam et Bengalen vela facientes: ex quo patebit, illud esse emporium opportunum ad liberum commercium Indicum et ad dimittendas reliquarum regionum merces (3). Postquam autem Malaccam a. 1824 Anglis concesserat imperium Batavum, Riouw in freto ejusdem nominis et ad ostium freti Malaccensis majora

(1) *Verhandel. over den O. I. handel* door G. K. V. HOGENDORP, p. 25.
(2) *Verhandel. over Neerl. Indie in de Bijvoegselen voor het X Dl. van de Bijdr. tot de Huishoudk. v. Staat*, door G. K. V. HOGENDORP, p. 6. (Delft 1825).
(3) WILLIAM MILBURN, l. c. Vol. II. 317. 318. V. D. BOSCH, l. c. Vol. II. 62—64.

accepit incrementa, quae imprimis aucta sunt decreto Regio 10 Aprilis anni 1828, quo portus iste Batavus *Riouw*, qui tam multa emolumenta praebebat, ex quibus commercio et navigationi plura redundabant commoda, *portus liber* declaratur, in quo omnium mercium, sine ullo discrimine libera importatio et exportatio foret, ita ut ab omni tributo, cum portus tum stationis liberae essent, (*zonder betaling hetzij van regten hetzij van haven- of ankeraadje gelden*) nec mercatores aliique, ullis legibus subjiciantur, nisi quod onera (*ladingen*) tantum profiteri debeant (1). Lintea Europaea, ferrum aliaeque merces imprimis in his regionibus desiderantur. Magnum est mercium emporium, quae in toto Archipelago venduntur. Riouw huc usque tantum a Chinensibus imprimis visitata fuit, qui ibi quoque commercium agunt et merces permutant. Europaei nulla hic construxerunt aedificia mercatoria. Caeterum temperies sana et amoena est, neque ullum dubium quin aliquando *Riouw* aeque ac Anglorum *Sincapoura*, praeclara praebitura sit emolumenta (2).

In *Borneo* insula plures consederunt nationes Europaeae, verum exceptis Batavis omnes hunc locum reliquerunt ob incolarum ferocitatem. Angli, qui saeculo XVII exeunte hic quoddam agebant commercium, ibi ad a. 1706 manserunt, postea quoque discesserunt (3).

Chinenses, quorum numerus in Borneo ad 125,000 a nonnullis aestimatur, imprimis commercium agunt, praecipuaeque eorum sedes sunt, *Mandor*, *Salakao*, *Mantrado*, *Larak*, *Sincawam* in interioribus. Indolis sunt seditiosae. Abdul rachman, qui a. 1808 mortuus est, nullo discrimine omnes admisit Chinenses (4) eorumque numerus brevi ita auctus fuit, ut revera difficile gubernari possent, et peculiarem quamdam Societatem formarent, praefectos sibi constituerent, seque, ab omni erga Principem obedientia liberos proclamarent, donec a. 1816 Sultanus Batavorum auctoritatem imploraret ad vindicanda pristina jura. Nova administrationis forma in hac insula quoque introducta, Chinenses tamen semper imperii legibus se opposuerunt, unde factum, ut a. 1822 militum copia illuc mitteretur, non irrito quidem illa successu, verum ob inopinatam in Java insula exortam seditionem, rem ad finem perducere non valuit (5) Portoria hodie

(1) Vid. *Staatscourant* van 21 en 25 April, 1 Mei 1828. n°. 95. 99. 104.

(2) *De Nederl. Hermes*, 3e Jaargang. n°. VII. p. 72—74. 75.

(3) Vid. nederburgh, l. c. 133. Milburn, l. c. Vol. II. 414.

(4) Pacto 1778 cum hoc principe inito, quo eum agnoverat Societas, hanc quoque inseruit conditionem, ut princeps Chinensium numerum diminueret, eorumque in hanc insulam adventum impediret. Verum frustra ut ex seqq. patebit.

(5) C. s. w. de hogendorp, l. c. 374.

aucta sunt. *Ugii* potissimum omnem mercaturam suis navibus agunt. Merces Europaeae et Gossypia Indica et Europaea imprimis magni aestimantur.

Celebem insulam Societas tantum propter aptum situm ad Moluccenses et ad impediendas omnes in commercio fraudes occupavit. Commercii emendatio et propagatio una erat e rationibus, ob quam Illustr. VAN DER CAPELLEN iter in has regiones suscepit. Emolumenta, quae indigenae ex commercio sibi comparabant, nostro imperio magna afferebant damna. Sic v. c. mercatores *Wadjoraei* saepe quotannis *f* 2,000,000 in commercio deposuerunt: quod linteis et opio potissimum constabat. Difficile profecto erat iis talia praebere emolumenta, salvis imperii Batavi commodis. In eo tamen ita se gessit Gubernator-supremus, ut prioris contractus normam retineret, secundum quem litterae tuti itineris requirebantur: verum eo imprimis contulit edictum, quo omnium proventuum industriae, nationum in toto Archipelago, importatio, omni onere levata est, si ex nostris posessionibus advenirent, et exportatio cujuscunque generis 2 pCt. tributo gravata fuit. Naves Chinenses severae subjectae sunt visitationi. *Bouginaei* cum navibus, quas *praauws* vocant in iis regionibus mercaturam agunt, ubi nulli sunt Europaei: hae expeditiones Europaeis molestae et periculosae sunt. Usque ad novam-Hollandiam navigant ad Coluthurniam (*tripang*) piscandam, quae apud Chinenses imprimis desideratur (1). Mercatura privata, quam Chinenses agunt, alicujus momenti est, eaque quotannis imperio Batavo 70 ad 75,000 piastrorum praebet. Stannum, ferrum, lintea et imprimis opium incolae pro auro et diversi generis lignis permutant (2).

Aromatum commercium per omnem fere vigebat orbem occidentalem, ab ultimo Archipelago Orientali inde usque ad Malaccam, Achemum et nonnullos Javae portus. Lusitanorum dominatio, cum continuis bellis conjuncta, commercio parum adtulit mutationis, quod ante illos egerant Arabes et Javani. De administratione Moluccensium mercatoria multi varie senserunt, alii absque Monopolio harum possessionem damnosam existimantibus, aliis proprium Monopolio vitium inesse dicentibus; quod tandem harum regionum interitum effecturum esset, verum ut in multis, sic et in his duorum saeculorum experientia docuit, uniuscujusque instituti firmiter fundati mutationem repentinam, cum damnosam tum saepius inutilem esse. Aromatum in Moluccensibus Monopolium, utpote malum necessarium, et hodie, libera caeterum vigente mercatura, retineatur.

(1) *Nieuwe Amst. Cour. en Algem. Handelsbl.* n°. 233. (1832).
(2) *De Nederl. Hermes*, n°. III. 3e Jaargang. 1828. 60—62.

§ 5.

De administrationis forma Batavorum in his regionibus.

Societas Batava in his regionibus quas recensuimus, diversam regiminis formam instituerat ab ea, quae hodie obtinet. Sic v. c. post supremam dominationis sedem, quae *Bataviae* collocata erat, septem erant *praecipuae sedes* (*Gouvernementen*) *Amboina, Banda, Ternata, Malacca, Ceylon, Macassar*, et *Bonae Spei Promontorium:* nam *Sumatrae Pars Occidentalis* tantum *statio* erat cum praefecto.

Sic *Padangae*, ubi iste praefectus residebat, suberant DELLI et SINKEL. Stationes *Priaman, Baros* et *Palembanga* privatis mercatoribus subjectae fuerunt (1). Hodie *Palembangae* imperium praefecturam ejusdem nominis efficit, cujus praecipui reditus in tributis exportationis et importationis, ut et in locationibus nonnullis consistunt. Administrationem Batavam curat praefectus cum actuario pluribusque ministris minoris generis. Sultanus praeest regionibus, quae Palembangae regnum comprehendunt, sed ultimis his annis regni-gubernator quidam rerum internarum administrationi praepositus fuit. In Palembanga systema feodale magnam partem adhuc viget, et ea revera incolarum natura esse videtur, ut haud facile liberalius quoddam systema administrationis ibi obtinere posset (2). *Padangae* administratio, quae a Procuratore-Generali recentioribus temporibus emendata fuit, demandata est praefecto (regent) cum actuario ut et sub-praefecto, qui Bencoulen praeest (3). Administratio Padangae multa emolumenta percipit e rebus locatis, quae a tempore restauratae dominationis in Sumatra insula imprimis auctae sunt. Inter has nominandum *opium* quod a. 1820, singulis mensibus summam fl. 4180 praebuit: a. 1821 fl. 3080: a. 1823 fl. 3190: a. 1824 fl. 14824. Praeter opium *araci* (arak) locatio quoque quaedam florenorum millia adfert, et conductor ejus tantum jus habet vendendi hunc potum, quem ad floreni summam, per lagenam vendit. *Herbae Nicotianae* locatio singulis mensibus 30 Spaansche matten praebet (4). Emolumenta quae his postremis annis ex hac insula redundarunt, ejus generis sunt, ut in posterum majora polliceri videantur, modo eadem administratio quae hodie viget, juste religioseque servetur.

Malacca, quam antea habuimus, quaeque a Societate tam-

---

(1) VALENTIJN, *Beschrijv. van Sumatra.* Tom. V. 16. 17.
(2) C. S. W. DE HOGENDORP. 362. NAHUYS, l. c. 49.
(3) C. S. W. DE HOGENDORP, l. c. 359. (4) NAHUYS, l. c. 91. 93 seqq.

quam praecipua sedes spectata est, pluresstationes comprehendebat cum in insula ipsa constructas, tum in Sumatrae Parte Orientali, quarum praefecti a Malaccae Gubernatore et consiliario creati fuerunt. *Riouw* praeest praefectus civilis, qui et militis munere et dignitate fungitur, cum actuario aliisque ministris minoribus (1). In insula *Mars*, quam indigenae *Pingjat* vocant, degit Johorae Prorex, Bouginaeus quidam, cui imperium Batavum 48 millia florenorum quotannis solvit, quam summam cum Johorae Sultano dividit, propter omnium proventuum cessionem, quos e Rhiouw acquirimus. Expensae menstruae summam 10,000 fl. efficiunt: reditus definiri non possunt (2).

Borneo antea administrata fuit a sub-mercatore (*onder-koopman*) qui praefecti titulo ornatus fuit, et cujus tutelae demandati erant 30 milites. Procurator-Generalis DU BUS universe hujus insulae administrationem simpliciorem reddidit, et in locum Gubernatoris cum praefectis *Sambae* et *Mumpawae*, substituit praefectum Pontianacae cum sub-praefectis in duabus caeteris regionibus, et officialibus minoribus Landacae et Taijangi. Idem fecit in Banjermassinga regione, ubi administrationem praefecto cum duobus officialibus demandavit (3). Reditus administrationis tributo constat, mercibus, quae consumtioni inserviunt, imposito, et certae cujusdam summae impositione et exactione ex unaquaque provincia, a villarum nobilibus praestanda. Expensae hujus praefecturae singulis mensibus ad summam 45,000 fl. aestimantur.

In *Macassarrensi* Regno versus septentrionem sita est imperii Batavi arx *Rotterdam*, a. 1669 occupata, cum *Villa Vlaardingen*, a Batavis maxime inhabitata. Praecipua Gubernatoris hujus regionis cura fuit commercii in oryza agendi, decimas, quae quoque in oryza constabant, exigendi, verum imprimis Principum actiones accurate observandi, et impediendi omnem Bony Regem inter et Goae necessitudinem (4). Hodie *Macassar*, cum insulis ad eam pertinentibus, *Celebe*, *Boetone*, *Saleyer*, *Sumbawa* aliisque, hujus nominis sedem (Gouvernement) efficit, quae se extendit ad omnem Celebes insulae partem meridionalem (5). Quoad Policiam, Macassar ita dividitur, ut comprehendat regionem sive *provinciam* (district) *Macassar* cum arce *Rotterdam*, urbe *Vlaar-*

(1) VALENTIJN, *Beschrijv. van Malacca.* Tom. V. 311. C. S. W. DE HOGENDORP, l. 356.

(2) NAHUYS, l. c. 223. 229.

(3) C. S. W. DE HOGENDORP, l. c. 376. 377.

(4) VALENTIJN, *Beschrijv. van Makassar.* Tom. III. parte II. 135—138.

(5) Vid. *Reglement op de administratie der policie en op de civiele en crimineele regtsvordering in het Gouvernement van Makassar,* (behoort bij Public. van 17 Julij 1824. Staatsbl. v. Ned. Indie n°. 31a).

dingen, Kampongs circumjacentes et insulas quae ei subsunt.

2°. *Provincias Meridionales* cum 11 Praefecturis.

3°. *Maron* cum 24 Praefecturis.

4°. *Boelecomban* et *Bontain* cum 12 Praefecturis.

5°. *Saleyer* cum 14 Praefecturis.

Publicam securitatem sub auspiciis Gubernatoris curant alii ministri, diversis juribus et muneribus ornati. Policiae praeest, Quaestor quidam (fiscaal), sub auspiciis Justitiae Consilii in Provincia constituti.

Justitiam defendit 1° Consilium Justitiae. 2° Provinciae-Consilium supremum quod Macassari residet. 3° Provinciae Consilia, in loco cujusque divisionis primario constituta. 4° Magistratus in Macassari provincia: Praefectorum-collegia in reliquis divisionibus, et villarum primarii. Quoad indigenas, jus dicitur secundum leges vernaculas, usus et consuetudines harum regionum, verum cum his exceptionibus, ut vel propter debitum vel propter delictum, nullus homo liber in servitutem redigi possit et aes alienum et bona in haeredes transeant. Litium impensas is solvere debet, qui condemnatur. Homicidium, plagium, rapina et furtum vi vel vulneratione commissum, in posterum non tantum mulcta plectuntur, verum secundum generalem legis Muhamedanae dispositionem. Villarum primarii (kampongs-hoofden) a sacerdote et civium majori adjuti 1° de rebus inter indigenas cognoscunt, quarum valor summam *f* 25 non excedit: 2° de litibus, super aquaeductu, finibus aliisque quaestionibus, quae vulgo inter rusticos agitari solent. Decimae oryzae, in iis agris provenientis vel colendae, qui ad imperium Batavum pertinent, exiguntur. Aestimatio harum decimarum, in pecuniae numeratae valore fit, ab officialibus Batavis, praesentibus praefectis, primariis et nobilioribus diversarum regionum, et quidem eo tempore, quo proventus eo pervenit, ut de ejus messe judicari possit. Illi, qui has decimas exhibere debent, hoc tributum cum in pecunia tum in proventibus solvere possunt, aestimatum ad aequum, et si necesse sit, ad annalem pecuniae valorem. Importationis et exportationis tributa, secundum fixum quoddam decretum, exiguntur (1). Auctoritas civilis penes Gubernatorem remanet, qui quinque praeest praefectis, qui in provinciis septentrionalibus et meridionalibus constituti sunt: praeterea alii sunt ministri, qui res pecuniarias et aedificia curant caet.

Moluccences insulae, regimen quoddam constituunt quod a suprema administratione in Java insula pendet. Gubernator Amboinae residet, multisque praeest praefectis et sub-praefectis: priores

(1) *Publicatie van den Gouv. Gen.* VAN DER CAPELLEN, van 17 Julij 1824.

sunt Amboinae, Ternatae et Bandae; Subpraefecti Saparoeae, Hilae, Laricae, Bouro et Cerami resident: praeterea praefectus est in Menado et sub–praefectus in Gorontalo: quae possessiones in parte Celebes insulae septentrionali sitae sunt, verum jam per longum tempus Ternatae praefecturae suberant. Durante itinere Gubernatoris illustrissimi VAN DER CAPELLEN, hae regiones tutelae directae Gubernatoris Moluccensium mandatae sunt. Justitiae tribunalia, in Amboina, Banda, et Ternata instituta sunt, ut et tribunalia minora (*landraden*), quae revera ad leges et instituta horum populorum accommodata sunt, et inserviunt juri, quod inter incolas dicendum est (1). In Amboina a. 1825 novum decretum de institutis judiciariis et modo procedendi apud indigenas latum fuit, quo inter alia haec praescribuntur: Amboinae Provinciae–consilium constituendum e Magistratu, qui praesidis munere fungitur et e praefectis 22 provinciarum, et e 3 ducibus civilibus, quotannis a Gubernatore creandis.

In rebus civilibus jus dicunt haec landraden, 1° de litibus quae inter indigenas existunt 2° de litibus summam *f* 500 non superantibus inter indigenas et Europaeos aliosque peregrinos, in quibus priores tamquam citati se sistunt, quum postremi semper tamquam citati se sistunt pro justitiae Consilio, quod Amboinae residet. Rerum criminalium curam, habet Magistratus Amboinae. Justitiae Consilium Amboinae Moluccensibus, Ternatae aliisque minoribus insulis praeest. Antea haec landraden, e justitiae consiliario cum 15 nobilioribus indigenis, comparata erant, et jus dicebant de omnibus rebus, quae incolas spectabant. Gubernator VAN DER CAPELLEN in his insulis revera tales mutationes introduxit, quae per se spectatae satis ostendunt, Imperium Indicum nihil aliud sibi proposuisse, nisi earum legum sive institutorum abolitionem, quae humanitatis et sanae politicae principiis adversantur. In novis legibus, quas decrevit Gubernator–supremus, vetera instituta incolarum reperiuntur, et officia incolarum et Principium accurate describuntur: et universe in his quoque eluxit justitia et benevolentia Illustrissimi viri, cujus regnum, per longam annorum seriem in India, multis calamitatibus triste fuit, verum qui praeclara fundamenta fere ubique in India posuit, quibus in posterum Batavorum emolumenta et harum regionum prosperitas constitui possent.

---

(1) Vid. *Reglement op de regterlijke instellingen en de regtspleging onder den Inlander te Amboina en onderhoorigheden*, (behoort bij de Resolutie van 22 Febr. 1825. n°. 8. Staatsbl. v. Ned. Ind. n°. 10).

Ita commercium Batavum, cum regionibus Indicis secundum foedera, ad finem perduximus: immensum vero abesse ut omnia complexisimus, mihimet ipsi conscius sum. Latissimus est campus ista Batavorum in India historia, et propria quadam eget memoria. Quanti momenti possessiones sint, cum ob magnitudinem et latissimum ambitum, tum propter firmum quod in plurimis constituimus imperium, ex dictis manifestum est. Concedendum sane, earum multas insignes subiisse mutationes, multis adflictas fuisse calamitatibus, per continua eaque gravissima bella: verum tamen ex his eas deserendas proclamare, inane fuit quorumdam principium. Subsidia quae requirebant, magna eaque vix tolerabilia erant: sed emolumenta et praesidia, quae per longam annorum seriem praebuerunt, et quibus solis illam sibi formare potuit auctoritatem, quam nunc possidet in India gens Batava, longo intervallo illa onera superant, quae mutata rerum conditio requirebat, quaeque necessaria erant, si in India avitae gloriae excellentiam et gravitatem sustinere vellet.

Restaurata nostra in India dominatione, magna jam statim exorta sunt bella, quae non nisi prudentia, sagacitate et consilio firmo opprimi poterant. Commercium quoque minora praebuit emolumenta, ob aliarum nationum imprimis Anglerum invidiam, qui durante sua administratione, harum possessionum conditionem indagaverant, et suarum mercium desiderium apud incolas excitare studuerant. Restitutio possessionum Batavarum foedere 13 Aug. 1814 stipulata, universe Anglis non placuit. Celeriter administratio Indica animadvertit, magna moliri Principes indigenas ad se substrahendos imperio Batavo; quod celeriter in Palembangae regno manifestum fuit. Palembangae possessio magni existimata fuit momenti, et ex belli eventu pendebat, an imperium Batavum revera adhud Principatum in India teneret. Eadem seditionis libido in Banca insula apparuit, et postea in parte Sumatrae insulae occidentali, neque hic sine armorum Batavorum interventu, pax et securitas confirmari potuit, neque possessiones in Borneo insula alio modo conservari. Ex his et ex supra dictis satis patebit, restitutae dominationis initia, cum multis conjuncta fuisse difficultatibus, quae non nisi vi superari potuerunt. Ab a. 1825 tamen majora ex diversis his insulis redundarunt lucra, ita ut damna forte aliquantum compensaverint.

In Moluccensibus eandem conservavimus commercii formam, quae jam tempore Societatis Batavae obtinebat: verum exspectandum est fortasse, ut sequentibus temporibus illud quoque

evanescat monopolium, quod ideo tantum conservat imperium, ne repentina administrationis in his insulis mutatio, tristem pariat eventum. Conatus diversi excitandi incolarum ingenii et promovendae proventuum culturae, ut et varia tentamina ad eorum utilitatem et humanitatem raro irrita fuerunt, contra exspectationi satisfecerunt. Aromatum commercium, quod et hodie tam insigne est, penes imperium remanet. (1) De quaestione, utrum non melius foret haec aromata in Patria vendere quam in India, potius hoc loco agere nolo.

Plurimae tamen in possessionibus nostris regiones sunt, e quibus minora emanarunt emolumenta, propter exiguum commercium quod Europaeos inter et indigenas intercedit. Verum sperandum, fore ut tractu temporis eae difficultates evanescant, et cum iis salutifera quoque communicetur imperii Batavi dominatio. Imprimis desiderium mercium Batavarum apud incolas excitandum est, et eorum proventuum cultura emendanda, qui et necessitati incolarum et permutationi inservire possunt.

Quamvis igitur commercium istud secundum foedera, hodie jam quasdam subierit mutationes, tamen considerandum adhuc est, tamquam firmissimum praesidium, quo omne commercium Indicum Batavorum nitatur. Nuperrime enim contractus cum Principibus quibusdam renovavit administratio; aliae gentes pristina foedera religiose adhuc observant, ita ut exinde satis benevolus erga nos animus pateat, et a nostra quoque parte justum sit, id agere, ut istud amicitiae et fidei vinculum confirmemus, nostramque apud incolas auctoritatem et benevolentiam augeamus.

Harum possessionum commercium insigne est cum *Java* insula, et quandoquidem nobis contigit accuratas tabulas conficere commercii harum possessionum ab a. 1825—1829, has hic subjungere volumus, ut ita pateat, quale fuerit incrementum commercii, quod hae possessiones agunt (2).

---

(1) Ad dijudicandum harum mercium desiderium, et valorem insularum Moluccensium in commercio Indico, sufficiat indicare aromatum copiam ab a°. 1823 —1827.

a°. 1823	exportatio	erat	3,495	pikels.
« 1824	«	«	6,561	«
« 1825	«	«	6,336	«
« 1826	«	«	3,334	«
« 1827	«	«	7,841	«

(2) *Verslag van den Handel, Scheepvaart, Inkomende en Uitgaande Regten op Java en Madura,* door . . KRUSEMAN, (over de jaren 1825—1829).

Importatio e	Sumatra.	Riouw et Lingen.	Celebe.	Moluccensibus.
A°. 1825.	1,041,387	1,729,375	93,234	6,534
« 1826.	816,439	644,443	284,076	27,281
« 1827.	880,520	977,893	275,745	116,754
« 1828.	981,436	639,019	276,564	357,773
« 1829.	848,182	652,671	379,797	417,164
Exportatio in	**Sumatram.**	**Riouw et Lingen.**	**Celebem.**	**Moluccensibus.**
A°. 1825.	881,175	1,021,643	526,610	649,093
« 1826.	832,408	1,224,969	1,273,139	422,912
« 1827.	700,316	1,514,591	686,959	389,415
« 1828.	804,820	876,224	400,952	761,374
« 1829.	846,699	1,143,638	356,351	611,624

Controversia a. 1623 *Batavos inter et Anglos.*

Pluribus locis memoravimus, Anglos fere ubique in India Orientali imprimis saeculo XVII, Batavis detrimenta adtulisse, et insignem inter utramque nationem invidiam exstitisse, ob emolumenta, quae Batavi prae iis saepius ex commercio sibi comparare potuerunt. Lites ab Anglis potissimum excitatae, non nisi multis ansam praebuerunt difficultatibus.

Anno 1623 Anglos inter et Batavos novum quoddam exstitit dissidium, quod infelicissimum habuit exitum, imo Anglis in *Amboina* insula perniciem adtulit. Istud factum adversis studiis narratum, per complures annos multis gravissimisque causas praebuit controversiis Batavos inter et Anglos. Quidquid turpe, horribile et inhumanum excogitari potest, id omne ex hoc facto anni 1623 in Batavos conjicere, multorum est studium indefessum. Concedamus necesse est multa huic facto inesse, quae primo obtuitu immoderata videantur; verumtamen ita illud comparatum existimamus, si rerum temporumque rationem habeamus, ut vindicatis Anglorum honoribus et juribus, Batavae gravitati, humanitati et justitiae adeo sit consentaneum, ut nullum perfidiae et immoderatae libidinis mercatoriae supersit indicium:

quapropter primum ipsam rem, tum quis sit multorum in ea scrupulus, investigare et dijudicare liceat.

Circa annum 1619 Batavi in Amboina quatuor habebant arces, quarum praecipua in primario regni loco erat, cujus praesidium tenebant 200 milites. Quadringenti peregrini urbem incolebant. Pacto hujus anni convenerunt Batavi et Angli, qui numero 14 ibi sedem constituerant, de hac insula et Bandanensi communiter tenenda, ita ut Angli tertiam acciperent proventuum partem pretium definientibus Batavis.

Bataviae *defensionis consilium* institutum fuit ex utriusque nationis hominibus constans, cui omnia dissidia vel difficultates subjicerentur et quod per 20 annos duraret (1).

Dubia Anglorum agendi ratio, qui Gubernatori Koenio expeditionem adversus Bandanenses meditanti renunciarunt, sibi nulla arma neque milites superesse, ut et benevolentia qua apud indigenas gaudebant, quos clam adversus Batavos incitabant, multis rixis ansam praebuerunt.

Miles Japannensis excubitoribus Batavis in Amboina nonnullas proponit quaestiones, quibus auditis praefectus militaris eum suspectum habens, comprehendi jussit. Is in equulejo confessus est, Anglos nonnullos, inter quos imprimis TOWRSON et PRICE chirurgum, Japannensibus undecim persuasisse, ut occuparent arcem Batavam, interficerent praefectum et reliquos detinerent. Quibus ulterius indagatis, praefectos sive seditionis auctores arripuerunt et in custodia habuerunt. Interrogati, plurimi crimen agnoverunt, ita ut septem Japannenses praeter Anglos, et Lusitanus unus qui servorum curae praeerat, morte punirentur.

Haec ubi in Angliam perlata sunt, a 7 Anglis, qui mortis poenam effugerant ibique perfidiae et crudelitatis, Batavae magna jactabant specimina, suorum vero innocentiam extollebant, magnum adversus Batavos concitarunt odium.

Ita factum comparatum fuit. Videamus nunc quid reprehensionis habeat.

Repentinum judicium de Anglis, justam habet rationem. Nam ex uno tantum die pendebat, utrius gentis in hac insula dominatio foret; quod autem quidam e paucitate Anglorum argumentum petunt, quae majori Batavorum praesidio cedere debuerit nec seditionem perficere potuerit, eo refutatur historiae testimonio, quo probatur, eo tempore 400 Japannenses et Mardycaeos urbem inhabitasse, qui Anglorum parti favebant et idonei erant ad persua-

---

(1) MILBURN, l. c. Vol. I. XXVIII. XXXII. Vol. II. 372. DU BOIS, *Vies des Gouv. Gen.* 72—78.

dendum adjacentium insularum incolis. Amboinenses et Bandanenses a seditioso quodam Ternatensi, qui Cerami, Hamatoae et Noissoalettae populos subjecerat, incitati adversus Batavos, hostilia agitabant consilia, quae inflammarunt Angli. Praeterea insignem Anglicarum navium copiam exspectabant, militibus caeteroque belli apparatu munitam. Ex his igitur satis constabit, Anglis tot fuisse praesidia, ut mortis sententiâ dilata, res in perniciem nostram cessisset. Quod alii confessionem coactam fuisse, profitentur, neque veritati congruit. Sic v. c. TOWRSON ab omni vexatione et vinculis liber confessus est Gubernatori VAN SPEULT, se criminis conscium esse, verum desiderare si factum revocari posset, ut id numquam factum fuisset. Tres alii idem confessi sunt, ipsique agnoverunt, duce TOWRSON Conjuratos congregatos fuisse Kalendis hujus anni Januariis, qui Batavorum in hac insula interitum sibi proponerent (1).

His addamus necesse est Anglorum injusta et fraudulosa erga nostrates facinora, quae si res per se manifesta non esset vindictae libidinem probarent. A primo Batavorum in Indiam adventu inde ad hoc factum usque, Angli id continuo egerunt, ut nostram apud Indicas gentes diminuerent auctoritatem. Iis solis enim tribuendum est, quod nostrates e regno Bantamensi in Iacatrae fines perfugium quaerere deberent. Durante obsessione urbis Bataviae etiam hostilia multa fecerunt. Hic quoque eadem dissidii et odiorum semina sparserunt, quae feliciter omni caruerunt effectu. Societas Batava talia semper cum Principibus iniit foedera, quae iustis rationibus, bona fide et aequitate nitebantur, eaque numquam violavit, quin violari passa est, ita ut vel minima exorta suspicione, jus suum strenue exsequeretur. Monopolium religiose tuebatur, fraudes impedire conabatur, verbo commercium propagare unicum ei erat propositum, cui alia omnia posthabebat. Quibus omnibus consideratis, nemini mirum videbitur, in tam periculoso et ancipiti rerum discrimine, a quo omnis Batavorum in hac insula sors pendebat, Praefectum quoque talia adhibuisse subsidia, quae omnem dubitationem et suspicionem adimerent. Periculosa tempora singularem quoque requirere agendi rationem, experientia docuit. Judices postea in Metropolin citati, satis probaverunt se, in tam formidolosa rerum conditione id egisse, quod officium et justitia suaderent. Lis inter utrumque populum orta numquam diremta fuit. A°. 1654 constitutum est, ut difficultates ex facto Amboinensi ortae, judicio submitterentur *Consilii arbi-*

---

(2) CRAWFURD, l. c. Vol. III. Introd. a. p. XLVI—LIII. AITZEMA, *Zaken van Staat en Oorlog.* Parte I. 365.

trorum, quos uterque nominaret. Angli omnem rem expedire et delere voluerunt ea conditione, ut Batavi heredibus eorum, qui perierant solverent 3615 P. ST. et cederent insulam *Poulo-Run*, quam tamen pacto Bredano retinuimus (1). Sed haec sufficiant de facto, in quo dignitas et aequitas Batava nullo fraudis vel inhumanitatis macula gravatae fuerunt, verum, in quo elucet severum quoddam justitiae specimen adversus eos, qui aliorum interitum cupientes, ipsi cadere solent.

SECTIO TERTIA.

§ 1.

De commercio Batavo in Indiae Continenti universe.

Societatis Batavae institutae consilium, eo spectavit, ut commercium in India sibi soli compararet. Hoc et assecuta est, et per longum tempus retinuit, partim armorum vi, partim ut vidimus, foederibus cum plurimis Principibus Indicis initis; partim etiam liberaliori politica agendi mercandique ratione, qua populorum Asiaticorum sibi conciliavit benevolentiam et fidem, ut et praeclara commercii privilegia. Plurimae regiones vel nimis potentes vel nimis longe remotae erant a suprema Societatis sede, quam ut, id quod in reliquis Asiae partibus egit, vi eas cogere posset ad pacta pangenda. Inde repetendum, quod commercii privilegia, quae Societas hic sibi acquisiverat, tantum benevolentia et indulgentia Principum niterentur, ab iis libere concessa, quum dominium directum excerceret in eas regiones, quas supra descripsimus. Cum iis emolumentis et privilegiis longe majorem aliis nationibus conservavit gravitatem, et monopolium cum in India tum ex India in Europam translatum cum multis sustinuit commodis; verum, majore exorta nationum diversarum aemulatione, magnam subiit mutationem et commercium et conditio universa Batavorum in India. Aemuli populi eam aggressi sunt in iis possessionibus ubi debilior erat ejus potestas: in *Continenti* ubi nulla pacta exclusoria contraxerat, Angli imprimis omnia intendebant ad commercium sibi vindicandum. Neque hoc impedire potuit Societas, quum praesidia ei deessent.

(1) Rem late descripsit auctor *The Dutch Displayed*, p. 10 seqq. (Londini 1766) quod opus ex hoc facto universe ad inhumanitatem Batavorum argumentatur. Cf. MILBURN et CRAWFURD, l. l.

Ita paullatim nostra diminuta fuit auctoritas, et bella calamitosa tandem magna emolumenta ad Anglos averterunt. Ab eo tempore systema primitivum Societatis fere periit. Angli inde non tantum vestium ex gossypio confectarum commercium acquisiverunt, verum etiam circa Indiae occidentem (*West van Indien*) omne piper ad se converterunt, quibus omnibus faverunt navigatio per maria Australia bello acquisita, et possessio recens constituta *Poulo–Pinang.*

Japannense commercium tamen Batavis adhuc solis patet. Commercium in China paulatim diminutum, ne ullum quidem adfert incitamentum. In universum omne nostrum in Continenti commercium itá diminutum est, ut hodie exceptis nonnullis, constet insularum proventuum inelaboratorum permutatione cum proprii usus objectis.

§ 2.

Japonia.

Multis iisque nobilissimis regionibus, quibuscum gens Batava, commercium agit, *Japoniae regnum* accedit, quod ideo magni est momenti, quia *sola* gens Batava illud commercium, et quidem in circumscripta quadam regni parte, sibi per duo fere saecula vindicare potuit: quod magis amicitiae studio, prudentiae et sagacitati, quam quidem insigni in commercio peritiae Batavorum, prae aliis gentibus, tribuendum existimo. Lusitani qui, ut ubique in India, ita et hic insignem sibi comparaverunt potentiam, talia sibi e commercio comparabant emolumenta, ut annales exportationes aliquando ad summam decem millionum florenorum aestimarent (1).

Anno 1605 MATELIEF junior in Chinam navigans, in cursu tres naves Japannenses obviam habuit, quae ei nunciabant, quosdam esse in Japonia Batavos, qui in propinquitate littoris a. 1600 naufragium passi, ibique detenti, remanserant. A. 1609 VAN DEN BROEK a *Patani* in Japoniam se contulit, ut ibi quandam cum Imperatore commercii necessitudinem contraheret. Ibi summo cum honore exceptus est; imperator ei litteras ad principem Batavum scriptas, demandavit, in quibus genti Batavae permisit sedem mercatoriam in suo regno condere, ita ut a. 1611 JACOBUS SPEX vir rerum Indicarum peritissimus, magnaque insuper humanae indolis pollens notitia (2)

---

(1) Cf. CRAWFURD, l. c. Vol. II. 187.

(2) De viro sagacissimo SPEX conferri merentur ea, quae scripsit poëta nobilissimus ONNO ZWIER VAN HAREN, *Ophelderingen op de elfde Zang der Geuzen*, p. 238—240. Vol. II. edit. Amstelod. a°. 1826.

a Gubernatore BOTH missus fuerit, qui foedus de commercio d. 30 Aug. 1611 cum imperatore panxit, quod in posterum nostram in Japonia confirmavit sedem (1).

Historia commercii Batavi in his regionibus ad *quatuor* referimus *periodos*, quarum *prima* erit ab anno 1611 usque ad annum 1641, quae florentissimum continet commercii liberi spatium, et migrationem e *Firado* in *Nangazachum* includit.

Perfidia et malevolentia Lusitanorum ubique, verum imprimis in Japonia, saepius Batavorum felicitatem et commoda diminuerunt, quae tamen a. 1625 cessarunt quum Lusitani in *Decimam* insulam in *Nangazacho* proficiscerentur. Batavi per istam migrationem Firadi portum occuparunt. Verum ut in multis, sic et ipsa fortunae diuturnitas saepius uno quamvis temporis momento periclitatur. Anno 1628 gubernator Formosae, PETRUS RUYTS, qui Japoniam legatus missus erat, imperatorem in eo decepit, quod se *Regis Batavi* non vero *Societatis* legatum professus est. Mendacium illud Lusitani imperatori denunciabant, qui gubernatorem odiose dimisit. RUYTS ubi Formosam advenisset, hanc aegre ferens tractationem, duas naves Japannenses in portu stationem habentes et 200 militibus munitas arripi jubet, easque per tantum tempus inutiliter detinet, donec venti, quibus ad navigandum in Chinam uti debent, praeteriissent, eosque in patriam redire non sinerent. Novem Japannenses, rem magni momenti se referendam habere professi, aditu ad gubernatorem sibi patefacto, eum detinent cum filio, Consiliariis, eumque ut se in patriam redire permitteret, coegerunt, praetereaque stipulabantur detrimenti compensationem, 25,000 pondo bombycis, quod propter prohibitum in Chinam iter, passi erant.

Quae quum audiret suprema *Bataviae* administratio, RUYTSIUM captivum detineri jussit, omniaque intendit ut Imperatoris iram averteret. Sed ratio operis requirit ut, ad gentis Batavae integritatem, hic interponamus factum, quod multorum erga nos excitavit odium, licet omni accusatione vacans, si sine praejudicio indagetur, et ita comparatum, ut nulla fere egeat defensione (2).

Religio Christiana multos brevi habuit sectatores (3), partim

---

(1) *De Beschrijv. van Japan* door ENGELBERT KAEMPFER. (Amst. 1733). p. 272.

(2) Historiam horum temporum docte exposuit laudatus ONNO ZWIER VAN HAREN in opusculo raro sed praeclarissimo, *Van Japan, met betrekkking tot de Hollandsche natie en de Christelijke godsdienst*. Zwollae 1775. in quo Batavos ab eorum vituperatoribus defendit, et disertis historiae monumentis, satis probavit, eos neque initium, neque causam praebuisse persecutionibus, neque exstirpandae religioni Christianae aliquod momentum adtulisse.

(3) Nuper opus gravissimum prodiit viri nobilissimi PH. FR. VON SIEBOLD, peritia et rerum Japannensium experientia insignis, cujus operis titulus hic est: NIPPON,

propter vehemens Lusitanorum studium et ardorem, partim propter luxum et externam speciem, quae cultum Catholicum ornant, et imprimis quoque propter mores integros eorum, qui religionis propagationi studebant, et quibuscum benevolentiam et humanitatem conjungebant, in *unius* dominatione plane incognitam. Quidam Principes huic religioni favebant, ita ut a. 1582 ad Papam GREGORIUM XIII praeclara mitterent dona, fidei suae et benevolentiae testimonia. Aula imperatoria primis temporibus se isti religioni non opposuit. Quum autem Christianorum numerus brevi auctus, magnam in quibusdam provinciis excerceret auctoritatem et delegati Lusitanorum quoque rebus civilibus sese immiscerent; imperium, *hanc religionem non quidem perversam verum civitati et securitati publicae damnosam* existimavit, ita ut ab eo tempore omnes qui ei faverent persequeretur, quae persecutio multis vitam ademit. Imo haud multum aberat, quin nos quoque e regno ejecisset imperator (1). Anno 1586 jam initium fecerat TAICO-SAMA imperator, ita ut a. sequenti ineunte, edictum evulgaret, quo omnes cruces, templa Christianorum deleri jubebat, nullum hujus ritus externum signum portari voluit, omnesque cives Japannenses, mortis poena proposita, vetuitne huic religioni faverent.

Delegatos peregrinos imperio ejecit, et ad abeundum 20 dierum spatium concessit. Anno 1590, 2570 Christiani mortem jam subierant, et istae persecutiones tam severae erant, ut tandem a. 1638 seditio exoriretur in regione *Ximabara*. Hanc seditionem tamen religionis causa tantum ortam esse, plurimorum est sententia: verum quicunque immoderatam istis temporibus imperatoris dominandi libidinem animadverterit, is statim videbit, et

---

Archief voor de Beschrijving van JAPAN, *en deszelfs toegevoegde en cijnsbare landen, Jezo, met de Zuidelijke Kurilen, Krafto, Kooraï en de Liu-kiu-Eilanden, volgens Japansche en Europische geschriften en eigen waarneming bewerkt.* Hoc opus quod mihi suppeditavit Viri doctissimi benevolentia, pro qua ei gratum obtestor animum, revera rerum Japannensium fontem praecipuum et monumentum dicere, non dubito, quum Prospectus, quem legere nobis quoque licuit, probat hoc opus talia contineri, quae huc usque frustra desideravimus. Pars prima, quae nuper prodiit, nunc habet titulum: NIPPON I. *Mathematische und Physische Geographie von Japan. Entdeckung, Namen, Lagen, Grösse und Eintheilung des Japanischen Reiches*, cf. p. 5. ubi vir doct. historiam Lusitanorum explicat, et inter aliä quoque memorat jam celeriter Lusitanos magnam habuisse opportunitatem ad religionem Christianam in Japonia propagandam. Primus qui religionem amplexus est (1546) fuit ANGERO postea PAULO DE SANTA FÈ Japannensis qui a°. 1549 deprecator (*fürsprecher*) erat quum FRANCISCUS XAVERIUS cum nonnullis Lusitanis Jesuitis Japoniam veniret. Sacerdotes primum portus *Satsuma* et *Bungo*, postea *Miako* visitarunt, et usque ad Septentrionalem imperii partem penetrarunt, et inde ab a°. 1616—1620 in insulam *Jezo* se contulerunt.

(1) Cf. J. H. HALBERTSMA, *Het Geslacht der van Harens, fragmenten* (Deventer 1829). p. 264.

oppressorum incolarum rem actam fuisse, et Principum plurimorum jus laesum et potestatem fractam, ut suam recuperarent libertatem. Ex diario Firadi (1) satis patet, incolas cum Principibus in surrexisse propter injurias iis illatas, quorum plurimi sunt rustici et nobiles ad numerum 10,000, qui in arce, in *Arimae* sinu exstructa, se imperio opposuerant. In turbata hac rerum conditione praefectum stationis mercatoriae Batavum Firadi, jubet Imperator navem bellicam exercitui Japannensi auxilio mittere. Societatis Batavae naves plerumque cum 110 vel 120 armatae erant militibus et tormentis diversae magnitudinis numero 26. Praefectus KOEKEBAKKER nominatus, *Ximabaram* versus navigat, ibi per 15 dies moratur et jussu praefectorum imperalium 425

---

(1) Vid. l. ONNO Z. V. HAREN, o. 17. Hoc diarium describere placet, quiaex eo omnis seditionis ratio manifesta est, quae tamen non convenit cum KAEMPFERI historiis; his vero eatenus praeferendum est, quod ab hominibus scriptum est, qui rei gestae testes oculati interfuerant.

A°. 1637.

« Den 17 December staan de Inwoonders van Arima tegen hunne Overheeden « op, en nemen over de harde handelingen hen aangedaan, de wapenen in de han- « den, zynde meest Boeren, die de Roomsche Christenen aldaar tot hulp krygen, « benevens veel vlugtende en misnoegde Edelen en Burgers die zig in een vervallen « kasteel in de bogt van Arima gelegen, sterk maken, en reeds al tot 10000 man « aangegroeid waren.

A°. 1638.

« Den 8 Januari verdeelden zy zich in 3 Troepen, lokkende een Party buiten « uit een naby gelegen kasteel, welke zy verslaan. Hun veldgeschrei was St. Jago. « Zy dragen hunne kleederen met een kruis, zyn kaal geschoren, verwoesten de « Japanse Tempels, en hebben een kerk daar Jesus en Maria aangebeden werd.

« Zy kregen de misnoegden van Amaxa, hunne overburen, te hulp, en be- « stormden een kasteel daar zy 300 man voor verliezen, waarop de landheeren « van Arima, en Amaxa bevel krygen, om de wederspannelingen (schoon de magt « niet hebbende) zonder hulp van eenige andere Landsheeren geheel te verdelgen: « doch ondertusschen zullen de Legers der naastgelegene grooten bereid staan om « de voorsehrevene, als zy te kort schieten, en geslagen worden, te helpen, en « ook niet eer haar te hulp te koomen, alzoo de Keyzer begeerd, dat de on- « heilen, ter plaatse daar zy beginnen, ook gedempt zullen werden, zonder hulp van « andren, opdat alzoo ieder Landheer het quaad voorkomen mag. De wederspan- « nelingen bieden aan, dat zy bereid zyn, zo de Keyzer hen verdelgen wil, om « voor Hem te sterven, doch niet voor hunne Heeren, besloten hebbende tegen de- « zelve tot den laatsten man toe te zullen vechten, zonder Vader, Broeder of andere « Vrienden, die in derzelver legers zyn mogten aan te zien, al 't welke zy ook allen « met eede bevestigen. Zy bestormen een sterkte, en slaan 600 man dood.

« Een Hollands schip begeefd zich derwaarts, brengt geschut aan land, en be- « schiet hunne sterkte, zoo van de batteryen als van 't schip. Ook was de voorzitter « tot hunne voldoening meedegegaan: waarop zy hen bestormen, en 5712 man ver- « slaan. Daarop deeden sy een uitval en werden, na een hardnekkig gevecht, den « 16[en] April overwonnen, gedood en 17000 koppen op staaken gezet. De overige « werden verbrand, of ontkwamen het door vlugt, zynde hun getal al tot 35000 « vermeerderd, en aangegroeid. »

Cf. insuper KAEMPFER c. 6. 71. c. 8. p. 103. CHARLEVOIX, *Histoire du Japon* (2 voll. 4) *Paris* Gaudonin. a°. 1736. Tom. II. p. 361 seqq.

glandes tormentis emittit contra seditiosorum munimenta, quorum numerus ad 35000 creverat. Hoc factum reprehenderunt nonnulli, partim eo argumento, quod Batavi Christianos debellarent, partim quod ansam praeberent exstirpandae Christianae religioni, et commercio interdicendo. Verum quidni aeque ac in Europa, in Japonia quoque se hostibus suis opponerent Batavi, iis praesertim, qui omnia intendebant ad diminuendum nostratium commercium? Praefectus KOEKEBAKKER necessitudinem Imperatorem inter et Societatem probe cognoscebat, nationem in aliis Indiae partibus cum Lusitanis bellum gerere sciebat, et Imperatori Lusitanos esse hostiles, multis ex speciminibus manifestum erat (1). In tali rerum statu, seditio in imperio oritur, et in exercitu hostili belli clamor auditur *St. Jago:* mirumne igitur, quum periculum in dies crescebat, si Imperator Batavorum amicorum auxilium imploraret. Praeterea Praefectus jussis Imperatoriis diligenter et ilico obsequi debebat, quae nullam neque repulsam, neque procrastinationem patiuntur: quod satis probavit CARONIS exemplum, qui stationis mercatoriae Batavae aedificium ex ligno constructum, in novum immutare volens lapideum, quod domicilio praefecti et reliquorum Societatis officialium esset, suspicionem Japannensium excitavit, putantium illum munimentum moliri, quia in Japonia nulla aedificia, nisi arces vel castella, lapidibus exstructa sunt. Ilico eum cogunt ad illud delendum, ut iram et odium Imperatoris, imo forte perniciem gentis Batavae averteret (2).

Summa igitur nunc quoque praefecto opus erat vigilantia, ne res in deterius caderet. In Lusitanis debellandis, officia ab Imperatore domino suo imposita implevit, et vindictae satisfecit, quam turpis ista atque depravata natio saepius excitaverat. Magnae lites, quae per 30 fere annos Batavos inter et Lusitanos exstiterunt, de dominatione in India, satis indicabant, si hostium arma in his praevaluissent, quum in aliis regionibus saepius irrita fuissent, nostrae gentis interitum postulaturos fuisse Lusitanos. Haec igitur nunc quoque frustra tentarunt.

Crimen aliud Batavis objectum, quod religionem Christianam abjuraverint, injustum est, omnique historiae testimonio contrarium. Imo manifestum est, Batavos multis quidem obtemperasse jussis Imperatoris, sed numquam exsequi voluerunt ea, quae religioni Christianae adversabantur (3). Decem e gente Batava,

(1) *Portugiese* ist nun in Japan das Losungswort des Schreckens, des Abscheues und der Verfolgung geworden. SIEBOLD, l. c. 9.

(2) Cf. KAEMPFER, l. c. p. 104 seqq. VALENTIJN, Dl. 4. stuk 2. *Beschrijving van Japan*, p. 35.

(3) Cf. HALBERTSMA, l. c. 269, qui genuinum affert specimen historiarum, quod omni fide dignum est.

quos adhuc detinebant, quique se Christianos profitebantur, Batavia dimiserunt, postquam praefectus noster declaraverat illos Societatis officiales esse (1). Neque religio Christiana ob hoc factum in tota regione exstirpata fuit, quum constet postea, (ut v. c. annis 1651, 1658, 1660, 1692, et ineunte saeculo XVIII) in multis regionibus Christianorum persecutionem perdurasse (2). Batavi commercia religiosa Lusitanorum interceperunt et detulerunt, verum et seditionem detexerunt, quae totius regni salutem et Imperatoris vitam in extrêmum adduxerat periculum. Commercium in posterum omnibus populis Europaeis, Batavis exceptis, interdictum fuit, et Lusitani et Hispani imperio ejecti (3). Exserunt Batavi secundum jussa Imperatoris, secundum commoda regni, officia Societatis, neque ulli se mancipaverunt flagitio.

Quod ad commercium, illud per omne hoc tempus, floruit, et ex eo magno manarunt emolumenta. Imprimis ab a. 1637 illud propagatum fuit, quo anno Societas cum *Tonquin, Bengale* et *Persia* insignes contraxerat rationes in commercio *bombycis*, quae praecipuam efficit in Japonia exportationis mercem, et quam antea fraudibus sibi comparare debuerant. Istud *bombycis* commercium quotannis sortem 6,000,000 florinorum requirebat qua Societas sua promovit commoda. Neque inter minoris momenti exportationes numerandum est *argentum*, quod quotannis ad 5,000,000 florenorum summam exportabatur et saepius ad 8 usque crevit (4).

Cum migratione e Tirado in Nangazachum, a. 1641, *secunda* incipit *periodus*, quae ab eo tempore ad a. 1672 procurrit, quo tempore commercium quasdam subiit mutationes, et pluribus circumscriptum fuit angustiis, verum tamen non ita diminutum ut emolumenta parvi momenti existimanda sint.

Quum primum Nangazachum advenerant Batavi, *Decimam* insulam iis inhabitandam concedunt Japanenses (quam ab a. 1635 Lusitani occupaverant) et simul prohibuerunt eos, quominus sine consensu suo insulam relinquerent. Quaquaversum eos specu-

---

(1) Cf. VAN HAREN, op. l. *van Japan* etc. p. 28—34.

(2) Cf. VAN HAREN, op. l. p. 46—50. Cf. caeterum CRAWFURD, l. c. II. p. 215 nota.

(3) Sic igitur etiam in Japonia ipsa Lusitanorum perfidia in praecipuis causis fuit, cur hoc commercium, quod per longam annorum seriem iis tam multa praebuerat emolumenta, relinquere deberent. So verschwunden, (ingeniose animadvertit Doct. SIEBOLD, l. c.) — nach fruchtlosen Versuchen, sich ferner im Handel zu halten (1640—1647, die Segel der Portugiesen und Spanier aus den Japanischen Gewässern, die Fahrzeuge dieser stolzen Weltendecker, auf denen wenige Jahre zuvor (1582) noch eine Gesandschaft Japanischer Fürsten in Triumphe nach Lissabon, Madrid und Rom geführt worden war. — p. 9.

(4) Cf. CRAWFURD, l. c. Vol. II. 201. Aurum quod exportabant in Indiae continentem 28 pCt. lucri praebebat.

labantur, omnem cum incolis necessitudinem interdicebant, officiales insuper jurare debebant, se rerum internarum conditionem numquamondituros, neque ullam cum incolis necessitudinem contracturos. Naves Batavae omnes simulac advenissent, armis munimentis, velis, anchoris denudatae, usque ad earum discessum a Japannensibus detinebantur. Naves praesidio cingebant, in peregrinatores omnes anxie inquirebant, et nemini absque suo consensu navigare permittunt (1).

His licet oneribus pressum commercium tamen eundem tenuit florem, propter insigne mercium importatarum desiderium. Sex vel 7 naves magnam mercium copiam quotannis in Japoniam asportabant, ibique cum lucro vendebant. Edictum a. 1637, quo *cupri* exportatio prohibita fuerat, abrogarunt, sed argentum in posterum unicuique exportare interdictum fuit. Verum haec mutatio majora afferebat emolumenta, quia *argentum* in Indico commercio 4 tantum, cuprum vero imprimis Surattae, quorsum quotannis insignis copia missa fuit, 95 pCt. lucri afferebat (2).

Tertia periodus continet temporis spatium ab a. 1672 usque ad a. 1684, per quod tempus, commercium pristinum florem paullatim amittere coepit. Propter offensionem consiliario aulae illatam jam brevi quaedam experti sunt incommoda (3). Anno 1672 *Ussingomi Tsusejemon*, cognatus *Minojamae*, primus Nangazachi Gubernator creatus ansam arripuit vindictae. Incepit a *liberi commercii nostri interdictione:* omnium mercium importatarum Gubernatori specimen quoddam exhibiendum erat, eo praetextu, ut eas indigenis mercatoribus spectandas traderet. Merces iis mercatoribus aestimandas dedit. Omnis venditio Gubernatori cessit, qui Praefecto Batavo vendendi facultatem ademit. Pretium mercium longe vilius solvit, quam quo antea sibi comparare potuerant. Hoc privilegium insuper retinuerunt, quod eas merces, quas pretio condicto vendere nollent Batavi, iterum vindicare et remittere poterant. Verum duris his conditionibus obtemperare maluerunt, quam onera duplae et sumtuosae ferre transportionis. His omnibus addendum, quod lucrum haud parum diminuit quod *cobang* vel *cupang* (nummus aureus ad 25 fl. summam) pro 60 *maas* accipere deberent, quamvis tantum huc usque 59 ad 60 maas valuisset, et usum (*cours*) habebat in his regionibus 54 ad 58 maas (4).

(1) Cf. WILLIAM MILBURN, *Oriental Commerce*, Vol. II. p. 559 qui omnes recenset modos, quibus et nunc quoque agimus commercium Japannense.

(2) C. KAEMPFER, l. 105—107. VALENTIJN, l. c. CRAWFURD, l. c. Vol. II. 201.

(3) Quam offensionem quum hujus viri dejectum prodat ingenium potius praeteribimus, lectores referentes ad KAEMPFER, l. c. p. 108.

(4) De hujus nummi aurei diversis speciebus cff. RAFFLES, *Hist. of Java.*

Anno 1682 Imperatori codicem supplicem miserunt, ut haec impedimenta diminueret, quibus a. 1684 specioso magis quam benigno responso liberum commercium ut ante, in *Decima* insula iterum praescriberet, verum postea viderunt talia Gubernatorem molitum fuisse, quae easdem molestias diverso sub adspectu praeberent.

Atque hîc *ultima periodus* incipit i. e. ab a. 1684 usque ad nostra tempora. Gubernator Nangazachi ejusque consiliarii, irati quod res praeter spem evenisset, non destiterunt Imperatori persuadere *liberum* hoc Batavorum *commercium*, horum emolumenta augere, Japennensium incolarum vero diminuere. Quae res hunc habuit effectum, ut a. 1685 constitueretur, ne Batavi plus quam 300,000 *thails* circiter 1,500,000 florenorum quotannis venderent, et ut quae hanc summam excederent, Japannensibus remanerent (1).

Imperator profitebatur, se has regulas ideo praescripsisse, ne Chinenses, quorum commercium diminutum fuit, intercederent. Summae 300,000 *thails*, qua quotannis uti possumus, 40,000 *thails* derogavit Imperium Japannense, ut haec pecunia commercio privato Praefecti stationis, ministrorum et mercatorum inserviret, atque ut hi etiam quaedam e commercio emolumenta haberent. Lucrum hujus commercii privati saepius 275,000 fl. efficit. Postea mutationes inductae quidem sunt, verum eas enumerare nil refert. Hoc tamen palam ostentandum et evulgandum est fidei et benevolentiae specimen regni Japannensis erga Batavos, quod administratio Anglica in Java nostris signis, nostro velo navali uti debuerit, si quaedam hujus commercii emolumenta percipere vellet. Haec tribuenda sunt sagacitati et prudentiae viri nobilissimi HENRICI DOEF, qui eo tempore praeerat stationi mercaturae, ibique per complures annos vitam ab omni sociali necessitudine remotam transegit.

Descriptis quae ad historiam nostri commercii, pertinent, restat ut paucis *merces* et *proventus* enumeremus, quorum desiderium est in Japonia. Navium onera lignum (*Japanhout*), saccharum, bombycis varias species, merces, aromata operaque manufacta ex lino et lana important, ad 500,000 fl. pretium. *Duae* quotannis naves in Japoniam navigant. Batavi tantum praestantissimi generis *cuprum* ad 12,000 pikol quantitatem inde accipiunt (2) et camphoram ad 8 usque ad 12,000 pondo. Societas

Vol. II. *Appendix* B. *Japan Trade* XVIII. *Verhandel. van het Batav. Genoots.* Vol. III. *Bijdragen tot de geschiedenis van Japan* door RADERMACHER, p. 140—144.

(1) Cf. KAEMPHER, l. c. p. 109. 110.

(2) Anno 1825 cupri exportatio erat 218,745 florenorum.
« 1826 « « « 560,822 «
« 1829 « « « 613,521 «

Batava 125 pondo cupri ad summam 31 florenorum emebat, illudque in Bengaliam, Malabariam, Suratten pretio 90 fl. vendebat. Imo IMHOFF Gubernator jam animadvertit cuprum nimis vili pretio ab indigenis nobis praestitum fuisse, ita ut eorum quaestus forte isti ansam praebuerint commercii nostri diminutioni, quam subiit.

Opera eorum infucata (*verlakt werk*) praeclara sunt. Merces Europaeae ubique sed imprimis hic desiderantur, ita ut haec mercatura fructu suo forte non careret.

Hodie officiales Batavi *Decimam* insulam tantum inhabitant sed ab omni progressu ulteriore prohibentur. Haec insula non tamen tamquam imperii nostri propria spectanda est, quia ejus usum et commercii emolumenta, quibus adhuc fruimur, potius existimanda sunt tamquam privilegia ab Imperatore nobis concessa usque ad tempus ab ipso determinandum (1).

Haec sufficiant de Japonia ejusque cum nostro commercio necessitudine. Utrum commercium hoc umquam liberum fieri possit, nec ne, tempus declarabit. Sententia tamen eorum, qui illud hodiernae Societati mercatoriae (*Handelmaatschappij*) sub Summi Imperantis auspicio concedere volunt, digna est quae perpendatur.

§ 3.

China.

Diversa conamina a Societata Batava facta, ut aliquam cum *China* commercii rationem contraheret, saepius irrita fuerunt, et effecerunt ut minoris quoque momenti esset commercium, respectu aliarum regionum (2). Quod autem isti conatus non tanta vi instituti sint, quantam commercii Chinensis momentum requirere videtur, causa in eo posita est, quod quamdiu Societas *Formosam* (ab a. 1642—1662) occuparet, indirecto cum China commercio sibi comparando non valde studeret. Nam Formosa centrum commercii Javam inter, Siamum, Philippinas, Chinam et Japoniam, et praecipuum fere Indici commercii emporium, arc–

(1) *Decima insula* 236 passuum longa, 92 lata est, et unum tantum habet vicum longum. Ponte cum Nangazocho urbe jungitur. In hac insula aedificia sunt omnium regni Batavi officialium et statio mercatoria. Quotannis praefectus aliique ad imperatorem observantiae testandae causa proficiscuntur nec tamen eum vident. In itinere, ut et ubivis, Batavos magno cingunt praesidio. Cf. insuper V. D. BOSCH, l. c. Vol. II. 126.

(2) Ingenium Chinensium universe in eo simile est Japannensium, quod quoque omnem cum exteris necessitudinem stricte prohibere, saltem praevenire conantur, quum Kantochum altera sit Decima.

tam necessitudinem cum China contraxerat (1). Per naves Chinenses Batavi merces suas in Chinam mittebant, ubi eas cum talibus permutabant proventibus, qui inservire possent commercio Japannensi, Indico, et Europaeo. Similiter mercatores Chinenses merces suas in Formosam deportabant.

Post Formosae jacturam Societas quoque minorem hujus commercii curam habuit, et ea quidem de causa, quod nostra natio, similiter ut reliquae Europaeae tantum *Kantochi* (*Canton*) sedem ponere posset, adeoque nullis frui privilegiis, et praeterea propter longinquitatem ab imperii sede neque administrationem inspicere neque fraudes praevenire posset. Ex commercio navium Chinensium (*Chinesche jonken* dictarum) Societas illud sibi comparabat emolumentum, quod pretium mercium constitueret, et omnibus mercibus e China importatis tributum 4 pCt. imponeret (2). Per longam tamen annorem seriem indirectum cum China commercium intermissum, et post institutam a. 1722 *Societatem Austriacam Indiae Orientalis*, iterum apertum fuit. Sed ab anno demum 1756 magnum accepit incrementum, multis tamen finibus adhuc limitatum, quia maxima mercium advectarum pars consumtioni propriae inserviret: nam *Anglica*, *Suecica* et *Danica* Societates (omnes privilegio munitae) ubique concurrebant.

Praecipua exportationis merx, *thea* est, quae durante Societate ad 3 vel 4 millionum pondo quantitatem quotannis importata fuit. Kantochum solus locus est, e quo theae exportationem admittit imperium Chinense, et regiones, quae insignem hunc proventum praebent, longissime ab eo distant, ita ut advectio saepius magnos requirat sumtus (3). In universum exportatio Chinensis comparari nequit cum ea, quae in *Indiae continenti* viget, quod forte in minore istarum mercium eorumque objectorum copia positum sit, quae in plurimis regionibus versus occidentem sitis desiderantur. Materiae elaboratae (*bewerkte stoffen*) magni quidem aestimantur, sed praecipuum Chinensium commercium indigentia nititur incolarum, qui in vestitu, consuetudinibus et agendi vivendique ratione, avitis moribus adstricti manent (4). Mercium advectarum copia e China insignis quidem est, verum ideo haud ita magni momenti, quia Chinenses eas

---

(1) Cf. RAYNAL, *Wijsgeerige en staatkundige geschiedenis van de bezittingen en den Koophandel der Europeanen in de beide Indien.* Tom. I. p. 267.

(2) IMHOF, l. c. *Considerations.* Tit. 9. § 5. p. 26.

(3) Cf. CRAWFURD, *de Indische Archipel.* Vol. II. p. 178 sqq. De thea ejusque cultura et diversis speciebus. Cf. MILBURN, l. c. Tom. II. 520 seqq.

(4) Cf. VAN DEN BOSCH, l. c. Vol. I. 185.

suis ipsi navibus advehunt, illae consumtioni internae tantum inserviant et sufficiant, et ad earum permutationem potissimum pecunia numerata requiratur (1); quia mercium copia, quam in permutatione accipiunt, minimam onerum navium partem efficiat. Angli contra, eo potissimum utuntur privilegio, quod merces Chinenses cum proventibus Bengalensibus solvunt, ideoque cum in onere, tum in revertendo, emolumenta capiunt (2).

Hoc commercium hodie non tantum limitibus circumscriptum est propter aliarum nationum concursum, sed et propter auspicia et privilegia, quibus Imperia suam propriam navigationem tuentur, vel ad Indicarum mercium advectionem cum exteris navibus prohibendam vel ad eam cum insigni tributorum onere concedendam. Serioribus temporibus, quum Americani hanc orbis partem suis navibus detegebant et cum China arctiora commercii vincula contrahebant, nostra exportatio externa nullius facta est momenti. Theae commercium imprimis magnas subiit calamitates. Quamvis copia, quae quotannis e China emittebatur paullatim diminueretur, Societas tamen in hoc commercio suam sibi fidem retinuit, quod magnum semper ejus theae speciei, qua utebatur, erat desiderium. Stationes mercatoriae quae *Kantochi* et *Macai* (*Macao*) erant huic commercio favebant, et illi qui praeerant, fraudes vindicabant. Postea quum mare velo Batavo interdictum esset, mercatores opulenti inita invicem societate theae commercium agebant, consilii Asiatici auspicio, velo neutrali, et insignem copiam exportarunt ex nostra statione mercatoria in China: quae statio, ut hoc insuper memoremus, nostram auctoritatem in his regionibus, dejecta et debilitata caeteroquin Metropoli, vindicare valuit. Verum devia hac mercandi ratione patefacta, omnis mercatura directa vel indirecta prorsus prohibita fuit, ita ut nulla e China amplius fieret exportatio, nisi subinde aliarum nationum navibus: quae res et rara et noxia fuit.

---

(1) De modo, quo Chinenses hoc commercium agunt, haec annotanda sunt. Quotannis 8 ad 10 naves, *jonken* dictae e *Kantochio* et *Amori* cum oneribus theae, bombycis inelaboratae, aliarumque mercium Chinensium in Javam appellunt. Hae naves, statuto anni tempore, vulgo cum *Noordwest-mousson*, circiter Januarium mensem adveniunt. Has naves in plurimas Archipelagi Indici possessiones Batavas admittit administratio, majoribus fruuntur privilegiis quam nostrae, definitam pecuniae summam pra unaquaque navi (*jonk*) solvunt, quod tributum parvum est. *Borneon*, *Palembangam*, *Celebem* et *Javam* insulas mercibus Chinensibus supplent. Si hoc commercium a mercatoribus nostris littora circumnavigantibus exerceretur, vehementer relationes cum Java ejusque possessionibus exteris augeret, et commercium Chinense, hodie nullius fere momenti, amplificaret. Naves revertentes plurimis Archipelagi Indici proventibus oneratae sunt. De Chinensibus, eorum industria et in rebus mercatoriis peritia infra agemus.

(2) Cf. v. d. BOSCH, l. c. Vol. I. 201.

Statio mercatoria Kantochi majores interim requirebat expensas, neque accepta eas compensabant emolumenta. Celeriter tamen multorum annorum experientia docuit, multis singularia adhibenda esse subsidia. Haec imprimis theae commercium spectant. Unicum hujus articuli commercium, immodicae et extensae administrationis intervallum, simplex illa Kantochi mercandi ratio, impedita contra et molesta in Hollandia, principium oeconomiae politicae, importationem usui et consumtioni accomodatam esse debere, et liberae importationis continuatio, quae commercium certum irregulare et damnosum efficiebat, satis praedicabant ad aliud refugiendum esse remedium (saeculi nostri principiis quidem contrarium.) ideo vero necessarium quia commercii incrementum et florem afferebat (1). Quae quum ad Regis notitiam pervenissent, necessarium videbatur prius argumenta et rationes in utramque partem indagare et advectionem interim litteris veniam parantibus (verlofbrieven) concedere, quibus avide usi sunt mercatores. Interim hujus quaestionis deliberationes, utrum commercium in Chinam illimitatum esse deberet, an jurium auspicantium tutelae obnoxium, an denique Societati demandandum, sedulo procedebant, donec Ordines Generales regi proponerent, ut illud commercium Societati cuidam privilegiatae traderetur.

Haec societas quoque decreto 23 Martis a. 1815 instituta est (2): definitumque, ut ejus fons sive sors subsidiaria 8 millionum florenorum summa constaret. Inscriptio unicuique patebat, introitus tributum 5 pCt. theae impositum erat, cum ejusdem remissione ad copias 82 iterum exportandas: et in spatium 25 annorum theae importatio (sine speciali regis consensu in casibus extraordinariis) prohibita fuit.

Mirum sane est huic instituto tam utili non favisse mercatores plures (nam per 3 mensium spatium ne ad dimidium quidem millionis inscripserant) et plurimos praejudicatae opinionis errore aversos fuisse ab omni societate solitaria. Quid multa? decretum abrogatum fuit, et paucis iis, qui sese participes professi erant, pecunia reddita cum 5 pCt. usura. Commercium litteris veniam

---

(1) Haec doctrina jam olim a multis magnae gravitatis viris defensa fuit, qui societatem Chinensi Theae imprimis faventem, fructuosam imo necessariam judicarunt: vid. NEDERBURGH in comment. saep. l. *Vragen of en in hoeverre.* p. 152. G. K. VAN HOGENDORP, *Memorie over den tegenwoord. staat van Handel en Culture in de O. I. bezittingen v. d. staat.* (1804) p. 36. qui caeteroquin ab omni monopolio abhorret. Ampl. V. D. BOSCH, l. c. Vol. I. 203.

(2) *Wet houdende oprigting van eene Maatschappij voor den Chinaschen Theehandel*, (gearresteerd bij besluit van 23 Maart 1815) vid. *Staatsbl.* n°. 30. a. 1815. *Vrijmoedige Bedenkingen over de op te rigtene Nederl. Geoctr. Maatsch.* etc. Amsterd. bij TEN BRINK. 1815.

testantibus (*licencien*) gestum fuit, donec lex liberi commercii cum tributis auspicantibus, die 24 Decembr. a. 1824, lata fuit (1). Non diu post tamen poenituit, et spes iterum nata, fore ut rex denuo iis, qui Societatis participes esse vellent, ejus rei facultatem praeberet. Verum ut praevideri poterat, frustra!

Societas Mercatoria (*de Handelmaatschappij*) hodie hoc commercium agit, neque tamen tanto quam carpi posset fructu, propter definitae sortis subsidia. Commercium Chinense eo gaudet privilegio, quod mercis genus contineat, ubique frustra desideratum. Expeditiones semel tantum per annum fiunt, majorem insuper requirunt sortem, longiusque durat, priusquam depositum revertatur. Theae exportatio per 4 annos ab a. 1824—1827 quotannis summam 208,400 fl. praebuit (2). Imo commercium ita ad interitum vergit, ut Societas mercatoria et superiori et hoc ipso anno nullam susceperit expeditionem. Exportationis commercium nullius est momenti (3). Indefinita importatio semper damnosa est, et major mercium copia in manibus plurium, qui eam divendere nequeunt, conditionem eorum, qui important, periculosam reddit. Hodierna de theae importatione lex insignem eamque inevitabilem habet difficultatem. Velum tantum onus *nationale* facit (*nationaliseert*) eique inferioris tributi privilegium conciliat, aequalis ei, quod solvunt patriae naves. Exempla ostendunt, navibus Batavis ad talem importationem exteros jam usos esse. Anglorum commercium cum China, dubium haeret. Privilegium

---

(1) *Wet houdende algemeene voorschriften omtrent den vrijen Theehandel.* Vid. *Staatsbl. van het Kon. der Nederl.* n°. 36. art. 11. 12. n°. 1). 2).

(2) Tabula theae, quae ab a. 1818 ad 1829 importata fuit ut pateat quae fuerit eo tempore commercii conditio.

a°. 1818	importata	fuit	ad	quantitatem	90,535 1/4	cistularum (*kwartkistjes*).
« 1819	«	«	«	«	59,929	«
« 1820	«	«	«	«	73,372	«
« 1821	«	«	«	«	17,213	«
« 1822	«	«	«	«	28,024	«
« 1823	«	«	«	«	26,192	«
« 1824	«	«	«	«	13,023	«
« 1825	«	«	«	«	37,224	«
« 1826	«	«	«	«	45,768	«
« 1827	«	«	«	«	28,038	«
« 1828	«	«	«	«	46,672	«
« 1829	«	«	«	«	26,392	«
				simul sumtae	492,382.	

(3) Annna theae in Europa consumtio 27,000,000 pondo efficit, et simul cum America 32,000,000. Angli soli a. 1823 e Kantocho 27,478,813 P. ST. et universe in Anglia quotannis äd 22,000,000 d. aestimatur importatio. De quantitate theae a societate Batava diversis temporibus exportata cf. MILBURN, l. c. Vol. II. 382. CRAWFURD, l. c. Vol. II. 380.

(*charter*) Societatis Anglicae ad finem tendit, et eventus aliquando docebit, utrum theae commercium apud eos monopolio simile, an plane liberum futurum sit. Si posterior opinio vincat, non aliter exspectandum, quam ut fora nostra tanta cumulet theae copia, ut nostrum lucrum plane evanescat: quae si forte eveniant (quod Dii avertant!) confirmata staret eorum sententia, qui gentem Batavam per duo saecula laborasse existiment, omnesque subiisse calamitates, ut Britannis tandem hunc divitiarum fontem aperirent. Si igitur omne incitamentum hujus commercii propagandi absit, Societas Mercatoria hodierna monopolium sibi praescriptione facile comparabit, ita ut iterum magnae oriantur difficultates cum privato mercatore (1). Anglorum et Americanorum commercium eo tendit, ut mercium Europaearum desiderium in China aperiat et augeat. Haec via et nobis patet, et sic fabricatis et industriae Batavae nova exorientur emolumenta.

Navigatio certa et commercium regulare imprimis favent expeditionibus. Quatenus Societas haec praeberet, equidem dijudicare nolo: neque quatenus adtendendum sit ad consilium, quod CRAWFURD dat (2), constituendi nimirum theae emporii cujusdam Bataviae. Optima thea ex interioribus imperii devehitur provinciis, et magnis quidem sumtibus, quum plurimae naves (*jonken*) Chinenses, quotannis in Javam navigantes ex ora septentrionali imperii proficiscantur, ut theam minore pretio adferre possent, si tantum emtores invenirent. Theae, quam hodie imprimis accipimus ab Americanis, profecto Chinensibus importatio concedi potuit, qui navigationis et importationis emolumenta sibi retinere possent, quum insuper nobis majora lucra transportationis e Java in Metropolin superessent. Quidquid tandem sit, illud omnes sperant, ut debili hujus commercii conditioni hodiernae succurratur hoc aliove modo, et ex insigni hoc commercio quaedam quoque emolumenta ad nos perveniant.

Ut pateat, quae sit commercii conditio Japoniae et Chinae, hic addere liceat tabulam importationum et exportationum ab a. 1825—1829.

---

(1) Cf. Doct. J. VAN OUWERKERK DE VRIES in postrema parte praeclarae illius commentationis, praemio a Societate Litterarum Harlemensi ornatae: *over de oorzaken van het verval des Nederlandschen Handels en de middelen tot herstel en uitbreiding van dezelve.* Haarlem 1827. P. DE HAAN, *Koloniaal Bezit en Handel, in verband gebragt met de afscheiding van België met Holland.* Leijden 1831 ad finem.

(2) *De Indische Archipel.* Vol. II. p. 383. 384.

	Importatio.		Exportatia.	
	Japonia.	China.	Japonia.	China.
A°. 1825.	875,405	467,861	373,853	1,394,992
« 1826.	161,615	386,600	23,365	1,976,192
« 1827.	663,445	484,703	409,279	1,357,794
« 1828.	1,067,231	590,974	313,313	1,561,653
« 1829.	692,979	316,817	407,145	1,217,692

Descripto Batavorum commercio in *Japonia* et *China*, huic sectioni finem imponere potueramus, nisi veteris aevi praestantia et gravitas paucis memoranda superesset. Imo, commercium Societatis Batavae tam late patebat, ut reliquiae hodiernae cum infinita ista regionum multitudine, quibuscum commercii rationes contraxerat, vix comparari queant. Detrimenti recordatio bellis continuis iisque gravissimis allati et vix resarciendi, quamvis haud grata sit, tamen illud praebet solatium, quod neque propria vel inconsiderantiae vel dedecoris culpa isti detrimento ansam praebuerit. Sic v. c. *Taprobana* (*Ceylon*) ubi Cinamomum optimum praesertim in regione Negambonensi gignitur, magna adferebat emolumenta. Lucrum ex hac mercatura saepius ad 3 vel 4 milliones florenorum aestimatum fuit. Confitendum serioribus temporibus administrationis expensas auctas fuisse, ita ut parva ex insulae commercio emanarent emolumenta, verum postquam a. 1795 Angli Taprobanam occupârant, eamque pace Ambianensi sibi retinuerant, non tantum Cinamomi commercium amisimus, sed et mercaturae vincula cum Hispania, quae haec insula nobis praebuerat, dissoluta fuerant. Quae sit hodierna cum hac insula commercii necessitudo et momentum, ex relationibus annuis patet, quae importationem ad 30,000 florenorum denotant, exportationem ad eandem vel majorem summam constituunt. Ab a. 1827 ad a. 1829 nulla fit harum mentio, quod cui causae adtribuenda sit, equidem nescio: satis tamen manifestum est, hoc commercium per se spectatum hodie nullius fere pretii esse (1).

In regno *Bengalensi* Societas ab a. 1655 sedem mercatoriam in *Hongly* pago fixerat, ut et arcem et stationem *Cajembazar*

(1) Raynal, l. c. Tom. I. 320. *Verhandelingen van het Batav. Genootsch.* IV.

et *Patram.* Praeter multa alia, imprimis vestes linteas, pharmaca, praecipue opium, cujus usus Asiaticis hominibus est in deliciis, praebet. Hodie commercium cum Bengalia alicujus est momenti, ita ut quorumdam millionum summa in commercio constituta sit (1).

In *Coromandeliae* oris mercaturam et imperii fines paullatim dilatavit Societas. In his oris vestium ex Gossypio confectarum mercatus copiosius exercetur. Pretium harum vestium quotannis circiter 400,000 fl. effecit. Commercium Anglis hodie praeclara praebet emolumenta, quum potissimum eorum proprium sit, et hae merces in Europa desiderentur. A. 1825 importatio e Coromandelia fl. 2,560 continebat, a. sequenti, 310, a. 1827, et 1828, nihil importatum est, et a. 1829, 1,435. Exportatio ab a. 1825—1829, tantum a. 1827, 182,048 effecit: ita ut neque hoc commercium praeclaris se commendet emolumentis.

Souratta et *Cochimum* in regno *Mallabarensi,* ubi imprimis piper subfuscum mercabamur et cardamomum, ad Anglos quoque transierunt. Hodie in his regionibus Batavum commercium consistit, in proventuum harum insularum cum mercibus quae propriae consumtioni inserviunt, permutatione. Ex his tamen *Persia,* versus occidentem, quacum commercium agit in saccharo et aromatibus, excipitur, quae regio in pecunia numerata merces solvit (2). In sinu *Persico* mercaturae nostrae sedes *Basora* translata erat *Karekam. Promontorium Bonae Spei*, quoque antea Societatis Batavae ditioni subjectum, amoenam habet et fortunatam soli coelique temperiem. Laetus est fructuum etiam Europaeorum et Asiaticorum proventus, magna naves, quae Indiam versus vehuntur et inde redeunt, rebus necessariis instruendi, nautas aqua recenti cibisque recreandi, aegros curandi opportunitas, tum facilis ratio Hottentottorum habitacula a littoribus removendi, adeo ut natura ipsa genti ad Monopolium mercaturae Indicae celerrimis passibus enitenti, eas oras pateficisse videatur. Riebeeckius Praefectus soli fertilitatem primus agnovit, eamque navigationi Indicae peropportunam censens, septemdecim viris, mentem suam aperiit, ibique colonorum primorum a. 1650 istuc missorum, dux exstitit (3). Promontorium Africanum Bonae Spei, ab Anglis haud immerito defensioni possessionum suarum in India peropportunum judicatur. Hodie magnae ad ejus sustentationem

---

(1) Ex relationibus annuis patet importationem in Javam fuisse a. 1827: *f* 1,130,228; 1828; 747,624: 1829; 300,454. Exportatio haec fuit: 1827: *f* 518,597: 1828: 79,537: 1829; 198,870.

(2) Vid. v. d. Bosch, l. c. Vol. I. 186.

(3) Percival, *Account of the cape of Good Hope.* (London 1804). 315.

requiruntur impensae, neque forte nobis tanti aestimandum est, postquam communicatio cum possessionibus nostris in India Orientali, mari facilior facta est: ita ut multae naves hodie in Indiam navigantes Promontorium ne attingant quidem. Manet tamen possessio insignis et sub Anglorum administratione haud paucos in humanitate et industria progressus fecit. Nuper duo prodierunt decreta Regis Magnae Britanniae, quae ad navigationem Promontorii Bonae Spei pertinent. Priori decreto, antiquiora decreta revocantur: posteriore tributum exportationis 3 pCt. constituitur valoris omnium mercium, quae consumtioni inserviunt Promontorii, in Regno unito Magnae Britanniae procreatarum vel confectarum: ut et 10 pCt. valoris mercium, quae in Promontorium importantur, confectarum sive procreatarum in civitate vel possessione extera vel in possessionibus Societatis Indicae Orientalis, exceptis doliis aliisque quae in colonia ad cupas vinarias adhibentur, quaeque omni tributo libera sunt. Alia praeterea praescribuntur, quae ad mercium importationem et exportationem, ad quorumdam objectorum interdictum, ad mercium depositionem pertinent. Saccharum, quod hic advehitur, iterum in Angliam deportari potest, sub iisdem dispositionibus ac statim a loco unde provenit, advectum esset (1).

De commercio earum regionum, quae paullatim ad Anglos transierunt, egregie egit WILLIAM MILBURN in opere saepius laudato, ad quod Lectores remittimus.

Anglorum potentia in India ultimis his 50 annis imprimis aucta, plurimarum nostrarum coloniarum interitum adduxit. Exspectatio et spes, fore ut cum restaurata pace, nostraque in India dignitate, commercium Indicum quoque priorem conditionem recuperaret, in multis irrita fuit, imo in nonnullis plane evanuit. Insignes commercii species dejectae jacent vel plane deletae sunt et ubivis mercatura ad perniciem vergere videbatur. Hoc quoque effecit, ut ista mercandi indoles in multis debilitata sit, et animus mercatorias expeditiones suscipiendi fere perierit. Haec fragilitas saepe rerum temporumque vicissitudinibus tribuitur, quae non sunt in nostra potestate.

Revera si accurate conditionem nostram in India investigemus, videbimus, multa adhuc nobis superesse, si omnes intendentes vires, priorem recuperemus animum. Naturalis situs plurimarum possessionum insignia nobis pollicentur emolumenta, et prudens ut et liberalis rerum commercialium administratio, quae hodie in India viget, jam laetos praebuit fructus! —

---

(1) Vid. *London Gazette* 3 April 1832. desumsit: *Nieuwe Amsterd. Cour. en Algem. Handelsbl.* n°. 146. a. 1832. Non dubium, quin haec mercatura libera universe majora praebeat emolumenta.

PARS SECUNDA.

DE JAVA INSULA.

SECTIO PRIMA.

§ 1.

Conspectus Historico-Politicus dominationis Batavae in Java insula.

Commercium Batavum per omnem fere Archipelagum Indicum stabilitum, et dominatio ineunte saeculo XVIII, ubique pactis et conventionibus confirmata fuit, quum *Java insula* sola restaret, ubi per aliquod tempus adhuc res suas agere et auctoritatem per omnem insulam sensim extendere curabat Societas (1). Eo enim tempore principum in Java insula imperium late patebat, quo quinquaginta annis post deleto, regionibusque divisis, ab a. 1755 Societatis Batavae dominatio majus accepit incrementum.

Verum et operis ratio et hujus sectionis ordo requirit, ut pacta exponamus praecipua, quibus dominatio Batava nitatur, jura definiamus, quae paullatim sibi comparaverit, et tandem consideremus, quae sit Javae insulae natura, ratione habita systematis colonialis.

Saeculo XVI exeunte Batavi Javam insulam visitarunt, 84 annis post Lusitanorum adventum, et 117 post Muhamedanam religionem introductam. Accidebat illud, regnante principe Matarmensis domus primo, Pahambana Senopati (2). Ab a. 1596 ad 1612 commercium et necessitudo Batavorum in Java ad impe-

(1) Regio, quam vulgo *Javam* vel *Javam Majorem* vocamus, una est e praecipuis *Sunda-insulis*. Aliquando quoque pro una *Malaja-insulis* accipitur, et partem ejus divisionis denotat Archipelagi orientalis, quam *insulas Asiaticas* dixerunt nonnulli. Sita est *Java* insula intra 6 et 9 grad. latitudinis meridionalis, et intra 105 et 115 gradus longitudinis orientem versus *Greenwich*. Oceanus Indicus meridiem versus insulam alluit. Eoum versus *Sunda*-fretum Javam a Sumatra insula separat in una parte ad 14 milliariorum distantiam. Ad Austrum *Balin* habet. Hae insulae aliaeque orientem versus sitae, flexum efficiunt ultra duo millia milliarium geographicorum. Nominis Javae origo dubia vel potius incognita est. Longitudinem habet 250 horarum, latitudo varia est: verum universe a 30 ad 45 horas patet. Cf. TH. ST. RAFFLES, *The History of Java*. Vol. I. p. 1—10. Ampl. J. V. D. BOSCH, *Nederl. Bezittingen in Azia, America en Africa* etc. Vol. I. 101 seqq. Vol. II. pr.

(2) Java insula nimis magna, quam ut *unius* dominationi subjecta esse posset, semper inter plures principes et praefectos divisa fuit, qui continuo de dominio agro-

rium Bantamense tantum pertinebat, quod emporium erat praecipuum commercii in pipere, insigni eorum temporum merce (1). A. 1612 Batavos inter et *Jacatrae* principem pactum initum est, quo liberum commercium priores sibi stipulati sunt, et uterque auxilio invicem praebendo sese obstrinxit. Eodem pacto sancitum est, ut omnes mercatoriae naves tributum solverent, Batavis et Chinensibus exceptis, et Hispanis imperium interdiceret Princeps. In hac regione (2) sedulo commercium agebant per 5 ad 6 annos, verum dissidiis inter Principem et Batavis exortis, regionem suam armorum vi subegerunt a. 1619, in quibus imprimis eluxit virtus et prudentia sagacissimi Gubernatoris PETRI KOEN, qui in reliquiis et ruinis Jacatrae, ***Bataviam*** urbem fundavit supremam Batavae dominationis sedem. Ab eorum adventu inde usque ad haec tempora, domus Matarmensis imprimis suam auctoritatem paullatim amplificavit.

Preanger-praefecturae (*Preanger-regentschappen*) (3). Jam celeriter ab Imperatore defecerunt, propter injurias, quibus invasiones Bantamensium et Maduraeorum eos afficiebant, contra quas Imperator incolas defendere non poterat. Hae Societatis tutelae se tradiderunt, pacto a. 1677, Imperatore solemniter id confirmante. Cum Imperatore magno, qui ab a. 1645—1670 regnum tenuit, magnae saepius exstiterunt dissensiones, ita ut hunc Societas metueret, eumque et donis et aequa agendi ratione in suas partes converteret. A. 1664 pacis conventiones a. 1646 renovatae sunt. Filius ejus Amancoera I benevolum erga Batavos animum ostendebat, a quibus quoque magna commoda accepit, in quibus nominare sufficiat auxilia, in bello contra principem

---

rum juriumque certantes, saepius magnarum litium auctores exstiterunt, donec Matarmensis domus principes rerum principatum ad se traherent sub nomine *Soesoehoenang* et reliquos sibi obnoxios redderent. Hic princeps, cujus dignitas Imperatoria erat, imperii sui fines constituit a Cheribon usque ad insulae orientem, et praeerat quoque Madurae.

(1) De contractibus Societatis Batavae cum rege Bantamensi initis cf. RAFFLES, l. c. Tom. II. 156. 182. CRAWFURD, l. c. III. 414. HAMILTON, *Account of the East-Indies*. Vol. I. 337.

(2) Batavia urbs hodie omnem complectitur regionem, quae antea Jacatrae regni nomine insignita erat. Bantamum versus occasum, Cheribon ad orientem habet. Dividitur in duas partes, quas vocant de *Ommelanden* et *Preanger-regentschappen*. *Verhand. v. h. Batav. Genootsch.* Tom. I. 16. — Vid. infra.

(3) Hae *praefecturae* ita dictae sunt ob titulum vel honorem praefecti *regent*, quem Batavi administratoribus cujuscunque regionis concesserunt. Ampla haec regio comprehendit *Crawang*, *Sumadang*, *Bandong*, *Tjansor* et *Limbang* praefecturas. Vid. infra TH. ST. RAFFLES incolarum numerum harum regionum ad 243,628 constituit, quorum 209,125 agriculturae operam praestant: earum ambitus 10002 milliaria quadrata (vierkante mijlen) complectitur: sed alii incolarum numerum ad 2,200,000 aestimant. Ab aliis Javae partibus semotae, minore cum Europaeis utuntur necessitudine, suisque propriis institutis obediunt.

Macassarensem praestita, qui a Celebe insula ad principem Javanensem debellandum advenerat; et paulo post adversus *Madurae* principem (1) qui imperii sede potitus, principem coegit fugam quaerere cum quatuor filiis. Princeps in Japarae vicinitate diem supremum obiit. Quibus auditis exercitus Batavus Japaram versus tendit, ubi SPEELMANNUS Praefectus militaris Imperatoris defuncti filium natu maximum sub nomine *Amancoera* II creavit imperatorem, in qua dignitate cum omnibus juribus et honoribus patriis a Societate postea confirmatus est. Verum secundum pacta quisque socius expensas resarcire et restituere debebat, quas in suam gratiam alter fecerat: et quum eae expensae a Societate factae, longe imperatoris opes superarent (ad summam 301,000 realem et 60,000 ropijen creverant) in compensationem cessit Sultanus *actu obligatorio* a. 1677 *omnes portus maritimos juxta regionis littora a flumine Crawang versus occasum usque ad extremam caput insulae orientale.* Praeter haec aliaque, speciali conventione 15 Januarii 1678 Societati tradita sunt, regnum et dominatio in regiones quae ad *Samarangam* pertinent, ea tamen conditione, ut reditus qui dicuntur *territoriales*, nomine principis exhiberent eique tanta praestarent, donec omne debitum solutum esset, quo et regiones traditas recuperaret.

A. 1681 tres fratres Cheriboni Principes Societati se dederunt, easdem ob causas quas pro sua defectione allegaverant Preanger-praefecturae. Imperatoris *Soesoehoenang* debitum paullatim auctum, a. 1705 ad summam 1,257,486 imperialium accreverat: quae ut et alia officia ab eo adhuc praestanda, effecerant, ut pacto 5 Octobr. hujus anni et *definitione limitum* (*acte van limietscheiding*) die 12 Julii anni sequentis, littora insulae septentrionalia versus orientem fluminis *Lossaris*, quod in hac parte imperii Cheribonensis terminum constituit, Societati cederentur in compensationem debiti. *Madura* insula aliaeque regiones brevi Societati se adjunxerunt. Ad haec tempora usque, Societatis dominium tantum se extenderat ad oras septentrionales Javae insulae; postea majorem accepit auctoritatem.

---

(1) Haec insula postea pleno jure ad Batavos transiit. Sultanus eadem jura, ac reliqui Principes exercebat, praeterquam quod majori titulo gauderet, quem ei ob praestita officia in bello in Java insula ab a. 1740—1748 concessit administratio Batava. Madura insula ab a. 1817 vulgo praefectura Madurae et Sumanapae dicta, freto parvo a Java separatur. Incolas habet numero 200,000, qui in 1100 villis vel pagis degunt. Insula tres continet partes: *Bangkalan*, *Pamakassan* et *Sumanapam*. Tres sunt Principes imperio Batavo subjecti. *Panumbahan* iste Sumanapae est praefectus indigenarum, qui in bellis postremis praeclara suae amicitiae et fidelitatis specimina edidit, ita ut a. 1825 honores et jura Sultani ab imperio Batavo ei concessa sint. C. J. W. DE HOGENDORP, l. c. 308.

Sub Imperatore *Paccoboeana* I tota *pars septentrionalis*, *reconciliationis*, *pacis*, *amicitiae* et *consociationis actu* vel *conventione*, Societatem inter et Principem ab 11 Novemb. a. 1743 supremae dominationi Batavae addicta est, cum iisdem juribus et privilegiis, quibus Princeps in his regionibus fruebatur, in mercedem vindicati juris Principis et Imperatoris Soesoehoenang in Javae Imperio. Sub hoc Imperatore possesiones in littore *Noord-oostkust* Javae et Madurae ad Batavos transierunt in compensationem 1,200,000 imperialium, quas Princeps Societati debebat. Hamincoboeana servus quidam, qui sua industria ad summos perveneral honores, arma contra Principem gessit, et eo pervenit dignitatis, ut omnibus conventionibus cnm Batavis factis, die 13 Febr. a. 1755, jurejurando confirmatis, a Societate Sultanus supremus sub nomine *Hamicoboeana Senopati Ingalaga Abdul Rachman Sahedin Panatagama Kulifatolah* renuntiaretur (1). Eo tempore Matarmi imperium in duas divjsum est partes, subjectas duobus Principibus, qui confitebantur, se imperium a Societate tamquam *feudum* accepisse, ita ut Societas quoque successoris in imperio eligendi et confirmandi jus haberet, Principe autem mortuo, Gubernator supremus regnum occuparet, donec ab ipso, consensu praefectorum nobilissimorum, alius crearetur Princeps (2). Causa, cur Hamincoboena contra Principem arma tulerat, haec erat, quod regionem *Soecowaticam*, quam ei promiserat, nunc ei denegaret: quae res igitur tristem habuit effectum. Hamincoboena *Djocjocartam* imperii sedem fecit, et a. 1791 obiit. Vir fuit fortis, ingeniosus, propositi tenax, sed in pactis fidelem semperque gratum et benevolum Batavis se praestitit. Successorem habuit filium natu maximum Hamincoboeanam II.

Per sexaginta deinceps annos Java insula ea fruitur pace, quae non parum contulit ad confirmandam auctoritatem, quam Batavi pactis sibi comparaverant. A. 1806 seditio quidem exorta erat, qua Sultanus Cheribonensis *Radja Canomam* solio dejectus, et in Amboinam insulam relegatus erat: verum ea celeriter opprcsa fuit, Sultanoque pristina jura restitua. Ad illud

(1) Bellum, quod Matarmi auctoritatem fregit, fere 16 annos perduravit, ejusque originem nonnulli ab a. 1703 repetunt.

(2) Ampl. NEDERBURGH inter alia haec quoque memorat: « De compagnie was gewoon de troonsopvolgingen gedurende het leven der regeerende vorsten, en tot derzelver genoegen, te regelen: *altijd* wordt daartoe een van derzelver zoons verkoren, en daar buiten te gaan is steeds beschouwd even of men Java in vuur en vlam wilde zetten. » p. 81. Comment. l. et Ampl. V. ALPHEN, l. c. p. 250. « Het bestuur van de O. I. Compagnie trachtte ten minste eenige bepaling en vastheid in te voeren, door het vaststellen van contingenten, *maar de oppermagt over de Vorsten bezat zij niet.*

tempus, nulla neque fuit seditionis species, neque aliqua dissidii suspicio. Ea quae hic adnotavismus tantum sunt pacta praecipua a Societae Batava variis temporibus cum Princibus variis inita: nam omnia memorare et supervacaneum sit, et operis fines egrederetur, quum ea arctissime conjuncta sint cum tota historia Javae insulae (1). Ex iis, quas adtulimus, rationibus, quae paulatim effecerunt, ut agri a Principibus Batavis concederentur, satis apparebit hanc Batavorum dominationem non vi et armis quaesitam, sed jure legitimeque comparatam confirmatamque esse.

Simulac Ampl. DAENDELS rebus Indicis praepositus erat, omnes Principes, qui huc usque sua Imperia tamquam feuda a Societate iis concessa possederant, liberavit ab omni commercio cum administratione Batava: quum vero Princeps Djocjocartae hac libertate tvrpiter abusus, imperio Batavo insidias strueret, Gubernator illuc cum insigni militum manu venit et edixit, ut Princeps se regno abdicaret in gratiam filii, qui eadem jura excerceret; verum *Cadoe-Condal-Blora* aliasque provincias versus Orientem Samarangae ad austrum Sourabayae cederet, accepta compensationis loco regione *Galoen.* Eo quoque tempore Bantamense imperium deletum est nescio quo jure et quibus rationibus: verum sic dominatio in Java insula exstirpata erat, cui administratio Batava praecipua emolumenta debebat. A. 1811 Angli Javam occuparunt. Pater Sultanus, quamvis pacto jura sua ad filium detulisset: clam tamen imperium tenuit, unde factum, ut regiones quas cedendas diximus, revera non traderentur. Patrem, imperium sibi vindicare cupientem, Angli debellarunt, dictas regiones cedere coëgerunt, et in *Poeloe-Pinang* relegarunt, tertio Principe insuper iis regionibus praeposito, quae antea Principem inter et Imperatorem divisae fuerant.

Quamvis, instaurata dominatione Batava in I. O., multae calamitates, multa fata tristissima initio rerum conditionem turbavissent, in Java insula tamen nulla exstiterunt incommoda, quae pacem everterunt. Sequentibus demum annis DIEPO NEGORO, Sultani junioris Djocjocartae cotutor, rerum conversionem tentavit, quae utrum immoderatae dominandi libidini an perversae agendi rationi administrationis Batavae tribuenda sit, a nonnullis

(1) Ea quae ad historiam Javae insulae in genere pertinent, amplius adnotarunt viri harum rerum peritissimi RAFFLES, l. l. Vol. II. a primis temporibus, inde, a pag. 65. ab adventu Batavorum in hac insula p. 149 ad 228. Ampl. V. D. BOSCH quoad historiam politicam Batavam in sectione prima Vol. I. l. l. CRAWFURD, l. l. Tom. III. ab initio historiae Javae p. 324 ab adventu Batavorum 342—370. *Pacta* et *conventiones* illustravit ampl. S. C. NEDERBURGH, *Verhand. over de Vragen*, p. 30—33. p. 160—173.

dubitatur. Equidem e longinquo rem dijudicans, cum nonnullis hanc seditionem iis omnibus annumerare velim, quae saepius nulla certa de causa nisi inconsiderantia et temeritate eorum suscipiuntur, qui aliquam sibi nominis famam comparare student; quamvis forte et aliae causae fuerint (1). Illud tamen profiteri non dubito, sententiam eorum omni veritatis specie carere, qui hanc seditionem ex intimo populi Javanensis pectore et voluntate profectam dicunt, quum ut praeclare animadvertit HOGENDORP pars quae huic seditioni favit tantum 60 a nationis Javanensis esset. Illud constat, pontifices imprimis hoc incitasse et sustinuisse consilium, incolisque persuasisse, ut subirent hoc certamen pro patria et Principe. Hi Sacerdotes in seditiosos majorem vim exercuerunt, quam Princeps ipse, et eum ab omni lenitate absterruerunt, si forte eo animum inclinaret (2). Feliciter huic bello, quod tot tantaque requisivit a Metropoli subsidia, finem imposuit Gubernator et Dux prudentissimus DE KOCK, qui doctrina civili dicam an militari insignior et Palembangae bellum et nunc Javanum composuit, et ubique in foro et in castris talia sagacitatis et peritiae specimina edidit, quae illum apud Javanos Batavorum sua gente et domo dignisissimum, apud cives Gubernatorem et fide et integritate clarum, exhibuerunt.

DIEPO NEGORO die 16 Febr. 1830 tandem praefecto militari se subjecerat. Magna Djocjocartae provinciae pars nostrae ditioni adjecta fuit. Provinciae concessae sunt *Bagaleen*, *Bansoemaae*, *Madioen* et regiones juxta *Solo* flumen jacentes (3). DIEPO NEGORO Menadum in Celebe insula relegatus fuit. *Kijai Modso* in insulae regionibus interioribus Tandani cum 62 suae cohortis sociis idem fatum subiit.

Respectu rationum, quas Metropolis cum Java insula et caeteris possessionibus contractas habet, pauca in lege fundamentali

---

(1) Propter nimiam agrorum extensionem, quam Principes incolis Souracartae et Djocjocartae locaverunt, Gubernator supremus decreverat ut ab omni agrorum locatione Europaei vel alii peregrini in Principum Provinciis impedirentur, quia modo omni legi et juri contrario factae essent, et ut contractus adhuc extantes nulli essent, ad temporis spatium fixum donec hoc decretum ad Principum notitiam perveniret. Reditus, quos Principes imperio Batavo administrandos concesserunt, imprimis sunt *tributa portoria* (*tolpoorten* et *tollen*) vocata, locationes vendendi *opii* minore copia et ad colligendos avium nidos ad summam *f* 480,000 valoris Indici: et hodie exceptis nidis *f* 1,366,000 praebent. Cf. DE HOGENDORP, l. c. 6. 7. junct. p. 295. 300. V. ALPHEN, l. c. 233 et 192 existimat hanc seditionem quoque tribuendam esse timori in Principum regionibus, quod tum in his systema redituum territorialium introduceretur, quum insuper dissolutio contractuum, ne agros Europaeis locarentur, qui sigillo Principis confirmati erant, et hic vim noxiam habuisset.

(2) DE HOGENDORP, l. c. p. 1.

(3) Diarium publicum *Amsterd. Courant*, a. 1831. n°. 128 et 134.

nostra memorantur. Antea imperium in eos, qui illas terras incolunt, summum pertinebat ad Belgas foederatos: hoc salvo, administratio potestatis in eos ad Societatem orientalem spectabat. Vidimus quo jure possessio Batava in Java nitatur: necessitudo interior quaedam exstitit Europaeos inter et longinquas regiones, ubi consederunt: inde mutua officia, mutuae obligationes imprimis rite observandae. Java colonia non tam est, quam potius Provincia, cujus suprema dominatio hodie penes Imperium Batavum est, etiam in Principes. Post interitum a. 1812 regni Djocjocartici, suprema imperii Europaei potestas confirmata est (1). Ab eo inde tempore inter stationes mercatorias vix enumerari potuit: sed Java possessio *Territorialis* facta est. Articulus 60 in Regem summum coloniarum imperium confert: coloniae Regni partem constituere non videntur, sed iis possessionibus annumerandae sunt, quas Regnum in aliis mundi partibus habet: neque coloniae delegatos ad Ordinum Generalium Coetum mittunt (2). Atque haec de dominatione et ratione insulae ditissimae sufficiant. Emolumenta quae ex hac insula redundant infra exponemus.

§ 2.

De Java insulae natura, ejus incolis et peregrinis, deque mercatura interiore.

Omnes possessiones Batavae, non tantum cum istis, quae juxta aequatorem vel inter circulos tropicos sitae sunt, regionibus, ubertatem et naturae fertilitatem communem habent, quam universe ibi plantarum ortus et diversitas ostendit, verum omnes his naturae dotibus praecellunt. In Java insula imprimis natura omnes dotes tam benigne et largiter sparsit, ut in terrarum orbe vix aliam ostendas regionem, iisdem ornamentis condecoratam. Ambitus 2300 milliaria geographica complectitur, quem imprimis conspicueque augent loca montana, quae 10 ad 12,000 pedum altitudinem habent. Montana ista sylvis densis et obscuris tecta sunt. In Java coelum purum, et sanum est. Elementa eumdem conservant ardorem, eandem excercent vim, quae fertilitatem continuam vix cogitandam promovent. Praeclare hanc fertilitatem his verbis denotat TH. ST. RAFFLES «The whole country, as seen from mon-

---

(1) *Java* is een wingewest, waarvan de *souvereiniteit* aan Nederland gehoort, en werkelijk door het Nederlandsch Gouvernement uitgeoefend wordt, *zelfs over de Vorsten*, die thans weinig meer dan *onderdanen* zijn. Ampl. V. ALPHEN, l. c. 192.

(2) Art. 210 distinctio facta est: *territorium regni* vel *possessio extera*, quae igitur non ad regnum pertinet cf. etiam art. leg. fund. 58. Rem omnem praeclare exposuit Consult. G. DEDEL in eximia sua Dissertatione *de Coloniis*. Lugd. Bat. 1826.

«tains of considerable elevation, appears a rich, diversified and «well watered garden, animated with villages, interspersed with «the most luxuriant fields, and covered with the freshest verdure.» Exemplum praebet Java centenarum pluriumque sectionum vel ordinum istorum, in quos plantarum regnum divisum est. Herba vel planta annicula exceptionem facit. Intra paucas horas temperiei extremitates regionum calidarum et temperatarum, imo septentrionalis frigidi, observantur. Haec diversitas, quae et in plantis et in montibus imo in tota natura cernitur, specialem, eamque memorabilem habet rationem. In Java nullae fere sunt terrae sabulosae (*zandgronden*), quae in Europa et ubique inveniri solent. Insula tota *solum* habet *vulcanium*, quod secundum eruditissimorum naturae observatorum doctrinam, imprimis plantarum incrementum et diversitatem augere et portendere videtur. Atque singularis haec terrae ratio nullam aliam habet originem, quam commodam temperationem eorum elementorum, ex quibus constat: haec fertilitas nulli aliae adtribuenda est rationi nisi terrae facilitati ad recipiendam humiditatem et aërem, mutabilitati et dissolutioni gradatae, cui subjecta est. Constat terram, natura sua plantarum culturae aptam, non insigni arte indigere, ut ad perfectiorem proveniat fertilitatis gradum, et praeparetur aliis plantis utilioribus. Omnia hujus generis tentamina exspectationi satisfaciunt, imo omnem spem superant. Temperies et natura omnem materiei calorem afferentis commixtionem supervacaneam et perniciosam redderet. Eorum observantia accurata, quae in ipsa rerum natura hanc fertilitatem augere videmus, omne absolvit, quod adhibendum, conservandum emendandumque est.

In ista omnium dotium ubertate et varietate necessitati incolarum satisfit, et in hoc supremae providentiae cura suspicienda est, quod istius proventus cultura, quo necessitati incolarum imprimis prospicitur, i. e. oryzae, facilis sit imo cuique innata videatur (1).

---

(1) Haec pro nostro instituto de fertilitate in Java insula sufficiant. Haec pauca memorare voluimus, quandoquidem non aliena sunt a proposito nostro, et eas rationes continere videntur quae revera fertilitatis causas efficiunt, et quas alibi quoque recensitas esse non invenimus. Imprimis ea excerpsimus ex oratione Celeberrimi C. G. C. REINWARDT, *Redevoering over de natuurlijke vruchtbaarheid van den grond der O. I. eilanden, vooral van het eiland Java en over de waarschijnelijke oorzaken van dezelve.* Quod opus mihi suppeditavit Viri Cl. benevolentia et humanitas, pro quibus ei publicum grati animi offero testimonium. In ea oratione revera dubites utrum gravitatem, momentum et doctrinam, an vero orationis suavitatem et varietatem magis laudare debeas. Ea quae nos adtulimus tantum minimam partem efficiunt. Atque exinde conficiendum quanti momenti opus sit, quod molitur Viri Cl. ingenium et ad cujus elaborationem jam multi praeterierunt anni, verum et eo majoris momenti, eoque majorem experientiae praebebit copiam!

Indigenae ditissimae hujus coloniae indolem habent simplicem, bonam, firmam, quamvis fortasse aliquis objiciat, hanc descriptionem historiae contrariam esse, quum imprimis saeculo XVIII, continua bella Javam insulam turbarint; ea equidem potius potentiae Principum divisae et irregulari, in qua versabatur, insulae conditioni tributa velim, quam indigenarum indoli seditiosae et bellicosae. Iis enim temporibus, ut breviter in principio hujus partis adnotavimus, dominatio inter plures Principes fuit divisa, vexationes, atrocitates, sub praetextu religioso commissae fuerunt, quae per aliquod tempus toleratae, saepius ope fanaticorum bella excitavere (1). Societas Batava firmitatem quamdam in constituendis certis portionibus (contingenten) introduxerat, verum dominationem in Principes non excercebat. Hodie quum omnes regiones limites certos habeant, et regularis sit internae administrationis forma, nullus a bellis metus, quum indigenarum natura ad pacem et quietem proclivis sit. Indigenae cum Batavis vinculum arctissimum junxerunt. In nonnullis regionibus revera Europaeorum industriam aequant. Religionis Muhammedanae veneratio communis est. Labor consuetus, facilis et quae inde vitae necessaria sibi comparant desiderio et voluntati indigenarum satisfaciunt.

Inter peregrinos vulgo *colonos* dictos, quique imprimis mercaturam promovent, primum nominandi sunt *Chinenses*. Eorum patria in Indicarum insularum vicinitate sita, magnum praebet commercium. Javam insulam jam mature adierunt ex quo Europaei iis viam monstrarant, et nonnullas in regiones sua instituta introduxerunt Chinenses, ubicunque sedem fixerunt, ita ut eorum commercium a primis inde temporibus late patuerit. Eodem modo Chinenses in Java insula consederunt: pauci vel potius nulli propensi erant ad obtemperandum atrocibus legibus, quibus eo tempore Javae instituta abundabant: verum quamprimum Batavi ibi aliquam sibi comparaverant auctoritatem, etiam Chinenses insulam occuparunt (2). Quotannis e China, potissimum e *Kantocho* et *Fokien* orisque maritimis, navibus *jonken* dictis ingenti numero in Bataviam adveniunt. Ex his plurimi, quum mulieribus Chinensibus patriam relinquere interdictum sit, ma-

(1) Docte rationes bellorum quae continuo in Java insula exstiterunt, expositae sunt in manuscripto, quod Amstelodami exstat in analectis sive collectione ista universali (archief) rerum a societate Batava actarum, et hunc habet titulum: *kort verhaal van den oorsprong van den laatsten Javaschen oorlog en het gelukkig einde daarvan door den algemeenen vrede*, p. 1162 seqq.

(2) Crawfurd, l. c. Vol. I. p. 245. Vol. II. 55 seq. Cf. *Verhandeling over den tegenwoordigen staat van den Landbouw in de Ommelanden van Batavia* door jan hooyman, in opusc. *Batav. Genootsch.* Tom. I. p. 129 seqq.

trimonium vel concubinatum cum Javae virginibus ineunt, unde multae mixtae generationes, quae difficilius a genuinis Chinensibus distingnuntur, quas *pernakans* vocant. Tertia eorum pars ab initio inde e China advenit. Multi quotannis in patriam redeunt, verum advenientium numerus major est. In Java insula Chinenses eadem conditione, ac apud nos *Judaei* habentur: verum illorum conditio melior est: omnia artificia, opificia conficiunt, quae vulgo hominibus inferioris loci mandari solent. Ubique magna gaudent fide. In agricultura magnus est eorum usus sic v. c. sacchari cultura, potissimum eorum sortibus sustinetur. Stante Societate Batava, Chinenses plurimorum contractuum monopolium habebant. Mercatores sunt ingeniosi et ad graviora negotia expedienda, sagaces. Ubique in Archipelago Indico, commercium propagarunt, et in plurimis regionibus ipsis praeferuntur indigenis. In *Riouw* terram Japonicam colunt, in *Lampongs* piper, in *Borneo* auri-fodinas curant, in *Banca* stannum comparant. Gubernator-supremus VAN DEN BOSCH, qui in opere saepius laudato eorum peritiam et solertiam imprimis laudat, decretum nuper edidit, quo Chinensium operariorum advectionem in Javam invitat, imprimis vero eorum, qui ad operam agriculturae praestandam idonei sunt. Comparatio operariorum Javanensium paullatim difficilior fit, et Chinensium ingenium quoque eos aptiores reddit ad opera qualiacumque. Administratio Indica ideo nautas Chinenses incitavit, ut quotannis certum quemdam Chinensium operariorum numerum adveherent ab administratione definiendum: quem in finem pro unoquoque operario e fisco Indico 50 fl. acciperent, quamque summam operarii, qui per biennium se obligant, restituere debent (1). Chinenses potissimum *Somabayam, Samarangam* et *Bataviam* urbes cum regionibus circumjacentibus inhabitant, quia ibi praecipua sunt fora mercatoria. Suis subsunt praefectis, sua retinuerunt jura, et domicilium constituunt in *campongs*.

Eorum numerus recte definiri nequit. Quando in Javam adveniunt, exigua possident, verum singulari sua industria brevi quamdam sibi comparant fortunam, quacum in patriam redeunt (2).

---

(1) Vid. *Nederl. Staatscourant*, n^e. 53. a. 1832.

(2) Cf. C. J. W. DE HOGENDORP, l. c. p. 41 seqq. Insignis Chinensium clades a. 1740, Gubernante ADRIANO VALCKENAER, effecit ut ab eo tempore eorum numerus diminueretur, quum adversus eos decretum editum esset. De ista clade illud memorabimus, ejus, quod in hujus generis seditionibus saepius accidit, veram causam adhuc latere. Hoc constat Chinensium consilium eo tetendisse, ut Europaeos omnes in Java insula exstirparent. « On en a diverses relations » inquit scriptor magnae auctoritatis « et celle que nous allons donner ici, n'en comprend pas moins sept, qui « a quelques circonstances près, sont absolument les mêmes. Toutes annoncent une

Arabum commercium in Java insula, ab a. 1478 alicujus facti est momenti, quo tempore religio Muhamedana ab iis in Javam introducta est. Plurimi eorum qui Javae consederunt, Pontifices sunt; nonnulli mercaturam agunt et obediunt praefecto cuidam *Majori* dicto. Praecipua eorum sedes *Grésik* est, locus ubi religio primum introducta fuit. In Batavia urbe, uno loco congregati fere degunt. Propter vitam religiosam, magni aestimantur ab indigenis. *Mauri*, *Bouginaei* et *Malaji* qui in plurimis Javae regionibus maritimis degunt, partim degenerarunt, partim suas consuetudines cum Javanensibus commiscuerunt, partim in aliis insulis dispersi sunt. De Europaeis non est quod quaedam memoremus.

Cum coloniali systemate arctissimo vinculo juncta est mercatura servorum (*slavenhandel*) quam in coloniis agunt et qua laboribus necessariis prospicitur, qui in coloniis peragendi sunt. Servitus in omnibus Archipelagi Indici regionibus exsistit, Java insula sola excepta: quae quamvis antiquitus ibi locum habuerit, postea abrogata est, idque ob hanc rationem, quod ubicunque liberorum hominum opera iisdem comparari potest conditionibus,

---

«conspiration generale, formée depuis long temps par ces peuples, pour se rendre «maitres de l'Isle de Java, après qu'ils en auroient detruit tous les Européens. Ils «ne doivent épargner que le Gouverneur et le Directeur-General, quils destinoient «a porter le parasol, l'un du Gouverneur et l'autre de la gouvernante de leur nation. «Ils auroient empalé les conseillers: ils auroient brûlé les vieillards et les vieilles «femmes: ils auroient fait un hachis de M[rs] IMHOFF et THEDENS, qu'ils regardoient «comme leur plus mortels ennemis, et ils les auraient mangés. Les jeunes filles «jolies leur auroient servi de concubines: quelques unes seroient passées a la suite «de la gouvernante, et le reste ainsi que les jeunes hommes auroient été enchainés «et reduits a l'esclavage.» Hoc erat conjurationis consilium. Quod autem nonnulli hanc seditionem durae et severae Batavorum oppressioni tribuere volunt, illud falso quodam nititur praetextu. Nam Chinenses per longum tempus Societatis Batavae benevolentia et indulgentia abusi fuerant in vexandis et corrumpendis indigenis, in decipiendis praefectis et in quovis injustitiae et malitiae genere, ita ut administratio horum pessimorum nonnullos in Ceylonem dimiserit; quamvis haec clades revera quamdam inhumanitatis speciem prae se ferat, ea tamen excusationem hanc habet, quod in conditione tam periculosa quoque remedia adhibenda essent quae et dignitatem Societatis et insulae securitatem vindicarent. Chinensium seditio enim insignis erat: Batavorum intererat hanc funditus delere: quod vero dolendum est, id putamus, Gubernatoris iram consiliarorum dignitati neque suae neque Societatis gravitati pepercisse. DUBOIS, *Vies des Gouv. Gen.* 309 seqq. *Mercure Historique et Politique* a. 1741. Vol. III. 116 seqq. *Annals of Europe for the year* 1743. London 1744. p. 555. In analectis supra citatis p. 1167 memorantur Chinenses, quorum numerus medio seculo XVIII tam insignis erat in Java insula, a. 1741 sibi proposuisse hujus insulae dominationem, qualem eam majores sui a. 1662 *Formosae* acquisiverant: primum tentamen hoc eos instituisse ut praecipuam Batavorum sedem, nimirum Bataviam urbem aggrederentur, et eo quidem consilio, ut in ea omnes Europaeos interficerent, seque ibi constituerent. Diis tamen placuit horum tentamina irrita reddere, et Batavis contigit Chinenses e regionibus Jacatrae superioribus profligare et millia nonnulla trucidare.

ibi servitus inutilis, imo damnosa est. Praefectus Javanensis majorem solertiam, obsequium et obedientiam a liberis civibus habet, quam umquam servi ei praebere possent. Indigenae ex Java insula, numquam eo barbariei rediguntur: et si quis forte a piratis emtus sit, testimonium liberae nativitatis sufficit ad eum liberandum. Numerus servorum maximus e *Bali* et *Celebe* insulis deportabatur. Omnes simul ad 30,000 aestimantur homines. Quod autem Societas Batava hanc in Java insula mercaturam toleraverit, hac imprimis indiget excusatione, quod quum Batavi has regiones primum visitarent, ibi non invenirent quandam populi classem, ut in India occidentali, quae domesticis rebus operam suam praestaret. Privati quoque iis temporibus huic negotiationi favebant, Chinenses et Arabes saepius servos vexarunt: nam quod Europaei, et in Java Batavi servos retineant, praecipue eo consilio hoc faciunt, ut majorem dignitati gloriam et luxum adjiciant. Recentioribus temporibus, servorum mercatura plane abrogata est: primum ab Anglis servorum conditio jam fuerat mitigata: postea conventione Magnam Brittanniam inter et Regem nostrum Augustissimum 13 Aug. anni 1814 et Europaeorum Principum declaratione 8 Febr. 1815 in congressu Vindobonensi (1) haec mercatura interdicta et abolita fuit: unde factum, ut paullatim in Metropoli pluribus decretis v. c. 20 Nov. 1818 (2) poenae quaedam constitutae sint ad impediendam mercaturam venalitiariam; 23 Dec. 1824 (3): 16 Aprilis 1821 (4) quo servorum importatio prohibetur in colonias ex coloniis exteris, ubi importatio ex Africa licita est; quibus addi possunt pacta Magnam Britanniam inter et Batavos 1 Maji 1818 (5).

Post haec tempora servorum numerus in Java paullatim diminutus est. Eorum labor constat in rebus domesticis curandis: conditio satis aequa est, et brevi forte nullo amplius discrimine a liberis hominibus secernentur (6): quum experientia satis confirmat, praeterquam quod hoc institutum barbari aevi prodat indicium, opus servorum damnosum esse, quia nihil habeat servus quo incitetur, conditioque ejus semper eadem futura sit. Est machina quaedam, saepius sumtuosa et in motu difficilis ut et in excercitio. Quicumque enim pro labore mercedem non accipit, minus quoque laborabit, regula quae forte nullam patitur exceptionem (7).

---

(1) Martens, *Supplément au recueil de Traités.* Tom. VI. 15. 23. 57. 432.
(2) *Staatsbl.* n°. 39. (3) *Staatsbl.* n°. 75. (4) *Staatsbl.* n°. 1.
(5) Martens, *Suppl. au recueil de Traités.* Tom. VIII. bl. 511.
(6) Crawfurd, l. c. Vol. I. 58 seq. Raffles, l. c. Vol. I. 75. 76 et nota.
(7) *Revue Britannique* n°. 9. Mars 1826. *Économie Politique. Du Travail libre et de celui des Esclaves.* 20—39.

Haec de natura et incolis Javae insulae.

Javae conditio ea est, isque situs, ut nullus certe alius locus eadem mercaturae commoda praebeat. Interna navigatio, qua commeatus inter omnes insulae partes facilior redditur, magnae viae munitae, quibus itinera expeditiora facta sunt, incolarum industria, incredibilis soli fertilitas, culturae praestantia, proventuum varietas magnumque eorum ubique desiderium, revera et sua prrebent praesidia. RAFFLES verba ADAMI SMITH citans haec dicit: «Java, on account of the natural fertility of its soil, of «the great extent of its seacost in proportion to the whole of «the country, and of the numbers of navigable rivers, affording «the conveniency of water carriage to some of its most inland «parts, is conveniently fitted by nature to be the seat of foreign «commerce, of manufactures for sale, to the neighbouring coun-«tries, and of all the improvements which these can occasion» (1).

Constat ante Europaeorum in hanc insulam adventum, jam amplum commercium cum plurimis Indiae regionibus egisse, et ex iis magna cum in cultura tum in mercandi ratione sibi comparasse subsidia. Quum primum Batavi insulam adirent, eo jam processerat, ut potius regio culta quam ab omni humanitate destituta dici posset, et cardo velut omnis commercii inter varias Indiae partes. Hanc excellentiam justo pretio aestimavit Societas Batava, quum ibi dominationis sedem constitueret; *Bataviam* urbem mercaturae tantum causa condidit mediam inter magnas urbes positam, quae quidem commercium Indicum agebant et ea via, quae plurimis navibus ex India ad Sinenses aut ad Japoniae oras tendentibus, patet. Praeclaram tutamque habet navium stationem, nonnullis insulis in propinquo jacentibus tectam.

Commercium duplex est *internum* et *Europaeum*. Prius, mercaturam interiorem, quae in littoribus fit cum Archipelago Malaico, in genere complectitur: mercaturam Europaeorum et Americanorum cum India, China, Japonia, Africa, America et Europa, posterius absolvit.

Mercatura, quam populi longinqui quamque imprimis Javae incolae cum gentibus humanitate praeclaris gerunt, in situ opportuno quaerenda videtur, ut et in ubertate proventuum. Expeditiones mercatoriae cum magna et insigni sorte apud incolas incognitae sunt. In Java mercatura, saltem ea quae vendendo copia minori continetur, in feminarum manibus est. Peregrini imprimis majora commercii negotia suspiciunt et curant. Maximi momenti res Europaei gerunt. In genere fatendum, incolas non-

(1) *History of Java,* l. c. Vol. I. 190.

dum eo pervenisse humanitatis, ut mercaturam extendere, vel proventuum cum pecunia permutationem promovere possint: nisi forte excipienda sint, publica illa fora mercatoria Javae, quae *pasar* vocant (a voce Arabica *bazar*), quaeque a Mahomedanis mutuarunt. Talia fora ubique in Java inveniuntur, et in iis magna est cura, magnae sunt sollicitudines. Mercium pretium insigne non est. Transportatio per plaustra incognita est: si ea per aquam fieri nequit, viri eam bajulant vel equos et boves in hunc usum adhibent (1).

Ora meridionalis nullum fere praebet accessum et raro a mercatoribus visitata est: verum juxta littora septentrionalia 13 sunt portus praecipui, praeter nonnullos minores, qui per totum annum naves indigenas recipiunt. Plurimi tutum praebent refugium, ut Sourabayae, Bantamensis, Bataviae, Rembangae. Terrae proventus et opera manu facta ex uno loco in alium mari vel terra deportantur. Navigatio interna ad satis magnum intervallum facilis et expedita fit per canales angustos. Mercaturam, quae per littora fit (*kustvaart*), imprimis Chinenses, Bouginaei, Malaji navibus *prauws* dictis agunt. Plurimi proventus quoque e regionibus internis et maritimis in Bataviam, Samarangam et Sourabayam devehuntur, ubi praecipui sunt portus commercii, exportationis causa, et in permutationem recipiunt merces Europaeas aliasque: ex his excipiuntur Provinciae occidentales quae vix inhabitatae sunt, neque ad commercium exterum quidquam conferunt (2). Commercium, quod vulgo *smalle handel* vocatur, quodque per omnem Archipelagum Indicum nationum Indicarum navibus, v. c. Sumatrae, Malaccae, Borneo, Celebes, Timoris, Riouw aliarumque agunt, et quarum navium numerus ante bellum cum Anglia fere duo millia efficiebat, quae in Javam adveniebant. Hodie circumscriptum est, neque ista emolumenta praebet, quae proventuum diversitas, qua universe Archipelagi regiones gaudent, quique in Java permutari possunt cum aliis mercibus, adferre posset.

§ 3.

De diversis Javae proventibus quoad commercium internum et externum.

Insulae, quae ad Batavorum dominationem in India pertinent, fere omnes diversis et propriis suis excellunt proventibus,

(1) V. D. BOSCH, l. c. Vol. I. 102. 103. CRAWFURD, l. c. Vol. II. 42 seqq. RAFFLES, l. c. Vol. I. 196.

(2) RAFFLES, l. c. Vol. I. 197.

qui eo pretiosiores sunt, quo majus eorum est desiderium. Java insula potissimum istius generis proventibus gaudet, quum ubique in India et in Europa magnum sit eorum desiderium. Agricultura in Java insula ad majorem pervenit excellentiam, quam ab indigenarum humanitatis conditione exspectaveris. Instrumenta, quibus ad agriculturam utuntur, pauca et simplicia sunt, quibus accedit insignis ista soli fertilitas, quod aliquando postquam in nonnullis regionibus duae vel tres messes prodierunt, nulla culturae mutatione eget. Aqua, quae saepe in regionibus tropicis desideratur, hic abundat. Multa jam praeterierunt saecula, in quibus solum diverso modo cultum est, adeo ut pristinae fertilitatis ne minimum quidem amiserit: multa forte praeteribunt priusquam haec ipsa excellentia evanescat. In Java insula diversa est culturae ratio. Sic v. c. *oryzae* cultura libera erat, quia nonnulli agri a praefectis ad hujus proventus culturam indigenis concedebantur ea conditione, ut ex annuis messibus tributum sive partem quamdam exhibeant: qua soluta ea quae remanent, sibi propria retinent indigenae vel ad proprium usum, vel ad commercium. *Coffea* contra tantum ad Societatem pertinet, eaque condicto pretio Societati ab indigenis praestanda est. Indigenae igitur hujus culturae curam habere non poterant, quia praeter pretium, quod illis ob praestita officia suppeditabat Societas, nihil iis remanebat, de quo quid vellent facere possent. Idem pertinet ad piper, aliosque proventus de quibus infra dicemus. Animadvertendum Societatem istorum proventuum, quos introduxerat, culturam sibi tantum reservasse, ita ut plurimi eorum ipsi tantum praestandi essent, et libertatem sive studium aliorum, qui ad novam quamdam culturam propriis sortibus uti vellent, circumscripsisse: in qua sortium utendarum libertate culturae liberae significatio posita est. Et quum a multis horum proventuum cultura et praestantia exposita sit, nos hoc loco eorum historiam et in commercio interno et externo valorem indagabimus. Praecipua proventuum genera enumerasse sufficiat. *Oryza* primum obtinet locum et ubique abunde in Java excolitur. Plurimae terrae ad hanc culturae aptae sunt, saltem si aquaeductibus necessariis instructae sint. Consuetudo efficit ut propria industria in hac cultura versentur, atque adeo longe aliis in ea praestent. Totius fere Archipelagi Indici emporium est Java insula, quod ad oryzam attinet. Adjacentes insulae, Sumatra, Malacca, Borneo, Celebes et Moluccenses oryzam e Java sibi comparant. Quantum oryzae Java producere possit, certo definiri nequit, quum imprimis his 25 annis haec cultura insignes fecerit progressus. Unusquisque incola quotannis 375 pondo oryzae consumit: quod an-

nuam consumtionem 15,000,000 pikol efficit: quaeque copia 125 pondo 2 florenos valet, adeoque in universum sumta, valorem quotannis haberet oryzae cultura 30,000,000 fl. et quamvis non omnes (v. c. excipiuntur minores natu, et aegrotantes) tantam copiam consumant, tamen ea, quae exportationi, equorum alimento atque aliarum rerum fabricationi inserviunt, horum locum implere possunt. Societas Batava nonnullos oryzae-agros Chinensibus locaverat. Praecipua emporia sunt *Indramayo*, *Cheribon*, *Tagal*, *Pecalongan*, *Japara*, *Grisé*, *Sourabaya*. Exportatio in Europam non adeo magna est, et si quae oryzae copia e Java in Europam pervenerit, ea vitiosa et male curata est, unde pretii vilitas oryzae Javanensis in Europa explicanda videtur. Oryzae sativae cultura in Java ad praestantiam insignem pervenit, et si accuratius ejus comparationem et exportationem curarent ii, quorum interest, insigne revera commercio Europaeo adferret lucrum, quum copia quae quotannis superest, tanta sit, ut exportationis impensas compensare queat (1). Incolae non patiuntur, ut illae terrae quae per longum tempus huic culturae inservierunt, in alium convertantur usum, veriti ne talis mutatio infelicem habeat eventum; qui metus tamen magis ab eorum natura et indole oritur, quam ab experientia (2).

A primis inde temporibus *sacchari* insignem habuit administratio Batava curam, et emolumenta ex ejus cultura provenientia magna erant. Ejus praeparatio et difficilis et sumtuosa est. Gubernator MOSSEL sacchari culturam *praecipuam* et *fructuosissimam* agriculturae in his coloniis *partem* dixit, et ad ejus emendationem magna concessit privilegia (3). Procuratores-generales a. 1794 existimabant, Javam Metropoli 8 milliones pondo sacchari afferre posse et quinque milliones Asiae; quae copia augeri posset et quidem ita, ut Ampliss. NEDERBURGH profiteatur «Javam tantum «sacchari afferre posse, quantum vix navium ad illud exportandum «parari queat.» (4).

---

(1) In Java, oryza in commercio in tria dividitur genera; mensura oryza (*tafelrijst*), oryza alba (*blanke rijst*) et quam vocant *cargazoenrijst*.

(2) Cf. RAFFLES, l. c. Tom. I. 177. CRAWFURD, l. c. Tom. I. 74. C. S. W. DE HOGENDORP, l. c. 145. V. D. BOSCH, l. c. Tom. I. 110 seqq.

(3) NEDERBURGH, l. c. 200 seqq. Observandum hoc loco nos tantum loqui de saccharo, quod Europaei introduxerunt e coloniis occidentalibus. Javae saccharum quod e buxi specie quadam comparant incolae, internae quidem consumtioni inservit, verum ab Europaeis haud ita magni aestimatur. CRAWFURD, l. c. Vol. I. 162 seqq.

(4) NEDERBURGH, l. c. 201. Cf. etiam *Memorie over den tegenwoordigen staat van den handel en de culture in de O. I. bezittingen* door G. K. VAN HOGENDORP, (1304) p. 145. V. D. BOSCH, l. c. Vol. I. 121 seqq. JAN HOOYMAN in opusc. cit. *Batav. Genoots.* Vol. I. 134—184.

Chinenses hanc culturam sub Societatis auspicio curabant, quae subsidia praebebat, providebatque ut impensas lucrum aequaret. Hi Societati ad pretium condictum saccharum vendebant, donec summam iis ad culturam promovendam suppeditatam aequarent. Hoc subsidium postea abrogavit Gubernator DAENDELS (1) et sub Anglis neque majorem accepit emendationem, quum ab a. 1808 ad 1815, a 94,903 pikol ad 20,000 ejusdem quantitatis diminuta esset. Recentioribus temporibus, haec cultura nonnulla, sed ea haud magna habuit incrementa. Hic locus non est inquirendi, in quantum sacchari-cultura et fabricatio, machinis atmicis augeatur (2). Exceptis paucis quibusdam qui his machinis utuntur, in Java tantum ita dictae sacchari-molae Chinensium inveniuntur. Ratio haec imprimis esse videtur, quod huc usque (Anglicis exceptis) nullae sortes Europaeae agriculturam promoverint, et quod id unice secuti sint, ut paucis iis subsidiis, quae aderant, uterentur, nullis impensis factis ad meliora sibi comparanda. Hinc eandem retinuimus viam et eadem quoque sacchari-culturae adhibentur subsidia quae a 100 annis inde fuerunt usitata. Postremis his annis, sacchari cultura majora habuit incrementa, ita ut ista quantitas quae ante nonnullos annos consumtioni ne internae quidem satisfaciebat, nunc Batavo commercio praeclara adtulerit emolumenta, quum emendata sacchari species, in patria cum lucro vendita sit. Hodie locationes non quidem unice in Chinensium nonnullorum potestate sunt, verum quotannis publice plurimum licitanti venduntur, ita ut et fiscus coloniae majora inde accipiat emolumenta. Ad promovendam culturam administratio nonnullas terras cessit. A. 1825, 37 molae saccharo conficiendo aptae prope Bataviam erant. Aliae in Provinciis Cheribon, Tagal, Samaranga, Sourabaya et Passarouang inveniuntur. Haec industriae species ad istud perfectionis fastigium nondum pervenit, ad quod pervenire potuisset, si Europaei suas sortes huic culturae praeberent, ex qua tam multa sibi comparare possent emolumenta (3).

---

(2) Is illos qui in sacchari-confectione laborabant ad vias conficiendas adduxit: verum haec et ratio praecipue contulit quod subsidium non amplius daretur, quod bubali cari et sumtuosi erant, ob eorum advectionis difficultatem in montanis locis, ita ut 32 molae ex 51, quae a. 1808 adhuc exstabant, superstites essent. Haec cultura imprimis administrationis cura et subsidiis egere videtur. Cf. *overzigt van den Nederl. O. I. bezittingen onder het bestuur van den Gouv. Gen.* DAENDELS door NICOLAUS ENGELHARD. (1816) p. 285. 286.

(3) Cf. VAN ALPHEN, l. c. 125. 200.

(4) C. S. W. DE HOGENDORP, l. c. 154. CRAWFURD, Vol. II. 251. I. 161. RAFFLES, Vol. I. 124. 212. *Het eiland Java in verband beschouwd met Neerlands handel, scheepvaart en fabrijken* door JOHANNES LOMAN. (1828) p. 31.

Milburn (1) putat, circa a 1690, Gubernatorem van hoorn quasdam e *Mocha* coffeae plantas sibi procurasse, quas in Java insula excoluit eo successu, ut a. 1714 Batavi praeclaram Regi Francico arborem donarent, quam omnium, quae postea in insulis Franco-Occidentalibus plantatae fuerunt, matrem dixerunt. Sed verosimilior est eorem sententia, qui eam a 1718 Gubernante henrico zwaardekroon in Javam introductam fuisse existimant. Vir iste Amplissimus a. 1706 recentes nonnullas plantas ex Arabia acceperat, quarum culturam primum in Cadawongae terris, in Bataviae urbis vicinia tentavit (2),

Coffeae cultura sub Societate Batava aeque ac piper aliique proventus *coacta* fuit, ejusque labor quoque sub nomine operae dominis praestandae (*Heerendiensten*) fiebat. Nemo absque consensu Societatis Batavae coffeae culturam explorare poterat, quia tota mersio ei pretio condicto exhibenda erat. E Preanger-praefecturis imprimis coffeam sibi comparavit. Hae regiones, quae a. 1751 et 1753 non ultra 2,157,995 coffeae pondo praebebant a. 1794, 13 milliones pondo exhibuerunt, et hodie pars tertia coffeae proventus in Java insula ex his praefecturis oritur. Duae reliquae tertiae partes ex Cheribone, Pecalongan et Principum interioribus terris proveniunt, ut et ex insulae parte orientali.

Difficile est definire, quantam coffeae copiam Javae insula proferre valeat: cum ob soli fertilitatem, tum ob plantandi rationem (3). Cultura tamen insignem requirit curam et magnam terrarum solique notitiam (4). Crawfurd existimat, annuam coffeae copiam in Java ad 70,000,000 pondo augeri posse. Ex relationibus, quas quotannis faciendas curat administratio Indica, patet hanc coffeae culturam magna fecisse incrementa (5). Preanger-praefecturae hodie circiter 100,000 pikol praebent. Incolae 225 pondo ad summam 6 imperialium exhibent. Quisque definitum arborum numerum curat. Coffea Javae in Metropoli et ubique in Europa multa divenditur. Publicis venditionibus plurimum licenti eam distribuit administratio Indica secundum art. 120 decreti 22 Dec. 1818 (6).

---

(1) *Oriental Commerce*, Vol. I. 105.

(2) Raffles, l. c. Vol. I. 125. C. s. w. de hogendorp, l. c. 164.

(3) Hanc culturam in Java insula cum omnibus aliis coloniis certare posse, putat Nobil. g. k. v. hogendorp, *Bijdr. tot de huishouding v. staat.* Tom. VIII. 341.

(4) C. s. w. de hogendorp, op. l. 177. hoc consilium iis dat, qui coffeae culturam explorare cupiunt. «Si l'on faisait une plantation de cent mille arbres, j'engagerais d'en planter encore vingt mille autres l'année suivante et de continuer «de même tous les ans, ou pour le moins tous les deux ans: le temps ne viendra que «trop tôt ou ces nouvelles plantations ne feront que remplir les vides.»

(5) l. c. Vol. II. 249.

(6) Cf. decretum Procur.-Gener. diei 30 Aug. 1827. *Reglement op het beleid der regering* etc. art. 126.

Sed ab a. 1825 annua harum regionum perceptio, Societati mercatoriae hodiernae certo pretio concessa est, secundum contractum in Europa imperium inter et Societatem initum. DAENDELS arborum numerum cum 45,000,000 amplificavit, et postea coffeae cultura insignes quoque progressus fecit. Utrum dura sit necessitas, an vero lucri opinio, quae hodie coactam hujus proventus culturam retineat, nil refert: illud tamen certum et manifestum est quod, si justa esset occasio hujus formae mutandae, administratio eam adsumeret et communi saluti prospiceret. Non tamen hodierna culturae ratio cum ea, quae durante Societate Batava viguit, comparanda est: primum, antea nihil e coffeae cultura sibi retinere potuit agricola, quia omnia ad Societatem pertinebant. Hodie hoc systema quidem servavit administratio in Preanger-praefecturis, verum coffeae culturam in aliis regionibus hujus insulae non prohibet. Exceptis Preanger-praefecturis, in Java tota coffeae cultura libera est, et unusquisque suis sortibus uti potest ad qualecunque culturae genus, proventus unicuique vendere potest, ita ut emolumenta ex hac cultura, quae antea ad Societatem Batavam solam pertinebant, nunc ad illum pertineant, qui eam promovere studet.

In diversorum proventuum cultura memoranda quoque est *Isatis Indica* sive *indigo,* quae et facilis et minus sumtuosa est. In Java ad insignem perfectionis gradum pervenit. Ante multos annos haec cultura quidem initium habuerat, sed intermissa fuit ob multas temporum vicissitudines, ita ut plane omissa videretur, nulla saltem ejus exportatio esset: et hoc ideo dolendum, quod ab eo tempore propter incolarum industriam non tantum emendari potuisset, sed et ad nos ea manassent emolumenta, quae nunc in *Bengaliam* redundarunt.

Recentioribus temporibus hanc culturam e somno quasi excitavit vir ingeniosus L. PETEL, construenda a. 1808 Indigo-fabrica et serendis hujus fruticis speciminibus, quae ex *Isle de France* adportaverat. Ad hoc usque tempus in Java *fermentatione* indigo praeparata non erat; vir Ampl. PETEL igitur hujus culturae restaurator imo conditor partim dicendus est: is effecit ut cultura intra breve tempus Europaeae exportationi inserviret (1). Praeparatio ac fabricatio hujus proventus in Java, eodem modo fit ac in Bengalia et America. Ampl. NEDERBURGH annuam copiam ad 30,000 pondo aestimavit. Pondo hodie $4\frac{1}{2}$ fl. valet. In interio-

(1) Ultimis his annis tam late patuit haec cultura ut quum a. 1825. tres tantum essent indigo-fabricae, a. 1828 ad 28 crevissent. Species diversae sunt, *indigo fera arborea, purpurea, argentea* et *anil;* quarum prima pretiosissima est, et cujus cultura imprimis in praefecturis *Limbangan* et *Garoet* fit.

ribus regionibus, hanc culturam Chinenses et indigenae curant, atque ita suis commodis prospiciunt (1).

Gossypii cultura (*katoenteelt*) in Java egregia est. Societas Batava eam quidem inceperat, verum recentioribus temporibus majora accepit incrementa. Cultura specierum pretiosarum gossypii praecipuis agriculturae partibus adnumeranda est, quum illud manifestum sit, quod si in India Orientali eo perveniri posset, ut gossypium ibi cultum linteorum fabricis in Metropoli materiam (*grondstof*) praeberet, unde praeparatum et confectum iterum in Indiam deportaretur, et sic necessitatibus 15,000,000 incolarum prospiceret, hoc modo votorum nos compotes factum iri, nimirum productorum brutorum et fabricatarum elaboratarum permutationis Coloniam inter et Metropolin (2). Crawfurd animadvertit, singulare quid esse, quod quum Javae solum fertilissimum sit (3) ibique agriculturae tanta praesidia, gossypium et asperius et inferioris sit valoris. Indigenae vilioris generis gossypium conficiunt, illudque Javae, Bali, Macassari et Boutoni proprium est: neque alii usui inservit, quam proprio et Indico, et si forsan melioris generis gossypium serant, eo potissimum consilio illud faciunt, ut inde aliquod sibi vestimentum solennitatis vel luxus causa comparent. Postquam a. 1828 quaedam gossypii specimina e *China* et *Fernambuco* in Javam fuerant deportata ibique consita, cultura emendata fuit. Hujus gossypii exportatio potissimum in Chinam fit, ubi magna copia venditur. Gossypia extera antea a Societate Batava e Bengalia, littoribus Malabaricis et Coromandeliis fuerunt comparata. Verum quum circa Indiae occidentem Societatis auctoritas paullatim diminueretur, ibique per duo bella perniciosissima et injustam Anglorum agendi rationem, omnes stationes mercatoriae languescerent, Societas a lin-

(1) *Algemeen verslag wegens den staat van Landbouw op Java over het jaar 1828, ingediend aan Z. E. den Minister van staat, Commissaris-Generaal over N. I. enz.* door de Hoofd-Commissie van Landbouw uitgegeven te Batavia, den 29 Aug. 1829. — *Indigo.*

(2) *Advijs over de verhandeling over de oorzaken van het verval des Nederl. Handels* etc. door G. K. V. HOGENDORP, uitgegeven door Prof. H. W. TYDEMAN (Haarlem 1828) p. 10. « De ruiling van de wederzijdsche voortbrengselen van het Moederland en de kolonien, is de grondslag van handel en vaart over en weder »

(3) Raffles qui omnium proventuum culturam eorumque in commercio interno et externo pretium et vim exposuit, de gossypio loquens, non potuit, quin hujus culturae praestantiam respiciens, soli fertilitatem iterum memoraret his verbis. « Nothing can convey a higher Idea of richness of the soil of Java and of the advantages of its climate than the fact, that during one half of the year the lands yield a rich and abundant crop of grain, more then sufficient for the ordinary food of the population, and during the other half a valuable staple, which affords the material for clothing them and opens in its manufacture a source of wealth and of continual domestic industry through the year. »

teorum Bengalicorum aliorumque mercatura se substraxit, eamque certis sub conditionibus privatis reliquit. Commercium gossypiorum Europaeorum ab a. demum 1811 initium sumsit. Angli, qui systematis colonialis peritia praestant, celeriter videbant insignem fore gossypiorum Europaeorum mercaturam, si eorum desiderium apud indigenas excitare possent. Et revera infra videbimus, hanc eorum peritiam per complures annos Batavis detrimentum adtulisse, quum ubique in interioribus commercii aedificia construxissent Angli, quae internam mercaturam mercium Europaearum promoverent. Hodie lintea et gossypia Europaea apud incolas necessitatibus vitae adnumerantur, ita ut eorum venditio non nisi fructuosa sit (1).

Piper omne, quotquot in regionibus Bantamensis regis proveniebat, Societas condicto pretio sibi comparabat et quidem $2^1/_2$ stuv. per pondo (2). Quotannis 3,000,000 pondo emebat. Ista quantitas hodiernam exportationem longe superat, et recentioribus temporibus piperis cultura mutationem haud commodam subiit, quod ideo magis dolendum, quia piper Javanense universi commercii tam insignem efficiebat partem. Magna piperis pars, quam Societati praebendam constituerat, rex Bantamensis e Sumatrae Provinciis *Lampongs* dictis, praebebat. Ante nonnullos annos in Java nova tentamina instituta sunt ad emendandam insignem hanc culturam, quae qualem habuerint eventum, equidem indagare non potui.

Herbae Nicotianae Javanensis cultura quoque memorabilis est, quum eam propria incolarum industria exerceat. Insignis est propter ejus consumtionem in interioribus et exportationem in alias Archipelagi insulas. In Java imprimis excolitur in *Limbangan, Karang-Kobar, Kadoe, Malang, Bezoecki* (3).

Cinamomum (4) quod ante aliquot annos in Java plantatum fuit, amissa a. 1802 Ceylone insula, imprimis magnum fecit incrementum. In praefectura Cheribon imprimis floret, verum ea non gaudet odoris praestantia, quam Ceylonense habet.

Javae solum, nuper novum quoddam fertilitatis suae specimen praebuit, de quo antea saepius disputatum. *Thea* quae a. 1827 in *Buitenzorg* et *Garoet* (in *Limbangan* praefectura) culta est, omni

---

(1) *Algemeen Verslag* etc.

(2) Vid. *Memorie over den tegenwoordigen staat van handel en culture in de O. I. bezittingen van den staat* door G. K. V. HOGENDORP. p. 153 ubi haec dicit auctor: « De peper was een vrije culture tot dat de Compagnie hare inrigting invoerde, alle verkoop van peper, behalve aan haar alleen, verboodt, geen restant aan den Planter overliet, ter zijner vrije beschikking » etc.

(3) l. c. *Tabak*. (4) Id. ibid. *Peperculture*.

exspectationi satisfecit. Ejus cultura a Chinensibus exercetur, quum et in hoc novum peritiae documentum praebuerint. Gubernator VAN DEN BOSCH a cujus insigni rerum usu et studio majora exspectantur emolumenta, quaedam in Metropolin novae hujus culturae specimina misit; quae hic ut et in India spem omnem superarunt, ita ut exinde facile novum quoque mercaturae commodum exoriri possit (1).

Inter *mineralia sal* unicum fere est, quod in commercio aliquod habeat momentum. Imprimis in Java insula sal conficiunt indigenae, ibique haud magna paratur opera, ita ut totius Archipelagi emporium fere dici queat. Antea sal, certo pretio Chinensibus locatum erat, qui iterum illud praefectis et indigenis vendebant, et propter pretium ejus enorme insignia quoque praebebat lucra. Ad littora Monopolii pretium quatuor decies duplum pretii naturalis vel primitivi continebat. In interioribus illud majorem requirebat operam. Ab omni tempore sal insignis commercii interni pars fuit. Societas Batava salis fodinas ad unum vel plures locabat annos. Locator sal e fodinis a *f* 6 ad *f* 12 *Coyang* 3,750 pondo, accipiebat, ratione habita intervalli ubi proventus exhibendus erat. Locator tenebatur Societati ad *f* 12 Coyang, toti excercitui exhibere, omnibusque insulae provinciis

---

(1) Id. ibid. *Thee*. Vir Doct. PH. FR. VON SIEBOLD a. 1826 jussu administrationis supremae (Hoofd-Commissie) agriculturae, nonnulla theae specimina e Japonia in Javam misit, quae secundum administrationis notulam Bataviae d. 25 Junii a. 1827, hoc ipso anno jam 2 ad 3,000 plantas praebuerant, ita ut revera mirum videri debeat, administrationem dictam in generali ista de cultura et industria commemoratione a. 1828, Doct. SIEBOLD memorem non fuisse, quandoquidem hujus viri solertiae hoc novum culturae genus tantum debeamus, quod forte in posterum in Java tam praeclara praebiturum sit emolumenta.

De *opio*, quod, quantum equidem sciam in Java non excolunt, monere, supervacaneum erit: quum monopolium hujus mercis per longum tempus Bengalia sibi retinuerit, quo tempore quotannis in Javam 550 cistas exportare solebat, quum universe ad omnes insulas Indicas 990 importatae sint. In Java ut et in Sumatra insulis, opium summae administrationis nomine venditur non emolumenti causa, sed ut incolarum necessitatibus satisfiat. Principes Indici hujus opii monopolium sibi reservant et in Java ejus distrahendi jus locatoribus conceditur. In Preanger praefecturis importatio plane prohibita est idque consentientibus indigenis. Anglorum in opii commercio potentia, diminuta fuit recentioribus temporibus Americanorum concursu, qui Turcici opii importationem ubivis promovent, et quum haec mercatura potissimum in peregrinorum manibus sit, sperandum ut aliquando excitetur Batavi mercatoris animus, ad persequendum hoc insigne mercaturae genus, ita ut praeter 500 cistas quas Angli pacto a. 1783 cum cessione *Patnae* Batavis suppeditare tenentur, privatorum importatio externo commercio aliquod praesidium praebeat. Cf. CRAWFURD, l. c. Vol. II. 376. TUCKER, *a Review of the financial situation of the East-India-Company* in 1824. p. 59. *Eenige ophelder. mijner laatste verhand. over Nederl. Indie* door G. K. V. HOGENDORP. p. 6. Importatio opii in Preanger-praefecturis decreto Procuratoris DU BUS d. 17 Aprilis 1827. (*Staatsbl. van Nederl. Indie*, n°. 46) praeter opii confiscationem mulcta punitur *f* 50 — ad fl. 10,000.

illud suppeditari debuit non ultra fl. 40 Coyang sive 3,750 pondo. Ampl. DAENDELS pretium auxit ad 10 fl. quoad consumtionem et trium annorum locationem fodinarum admisit. ANGLI locationem salis fodinarum duobus annis auxerunt: sed decreto 29 Nov. 1813 omnes ad se converterunt, omniaque simul quae ad salis Monopolium pertinebant, sed pretium quoque diminuerunt venditionis ad consumtionem, illudque ad fl. 44 Coyang, constituerunt (1). Angli insuper, praeter Monopolium, quod secundum severa Bengaliae instituta excercebant, *maximum* quoddam constituebant in salis pretio. Usus et locatio salis fodinarum ad certum tempus et pretium conducerentur. Agri singuli speciatim locandi erant et in partibus minutis divisi, ad Monopolium impediendum. Annuam copiam, quae in Java et Madura requiritur, CRAWFURD ad 640,000 centenarios, quos vocant Anglicos, aestimat, quod pro unoquoque homine e 5 millionibus $14\frac{1}{2}$ fecit. Post dominationis Batavae restaurationem in India in plurimis Anglorum ordinatio servata est, et Coyang ad *f* 50 statutum. Hoc pretium postea (a. 1820 seq.) ob humiditates, quae minus fertilem protulerunt annum ad fl. 90 crevit, quum ejus importatio e Siammo Calcutta et aliunde fieret. Postea sal ad copiam Coyang pro interna consumtione ad *f* 75 vendidit administratio, ut et pro exportatione, verum cum restitutione fl. 17 per Coyang in quantum inde ad possessiones in Borneo sitas transportatum fuit (2). Animadvertendum vigente cultura libera, salis pretium quater esse auctum: societatis Batavae Monopolium illud quater vel quinquies ultra fabricati pretium auxit: administrationes recentiores c. c. decies quinquies pretium auxerunt et quidem ultra; nam varia Edicta Procuratoris-Generalis DU BUS *sal* adeo ultra valorem evexerunt, ut Coyang, quod Societati ad *f* 62 exhibendum esset, decreto 16 Decemb. 1828 ad *f* 240 aestimatum fuerit. Quam perniciosa imprimis talia mandata sint, satis probat hoc exemplum: si illi proventus enim, qui communi omnium necessitati inserviunt, nimio pretio onerantur, eorum desiderium diminuit (3).

E *Regno animali* in commercio Indico *nidi avium* Javae imprimis memorandi sunt. Valor quem Chinensium luxuria huic proventui tribuit, emolumenta determinat, quae ex hoc commercii genere profluunt. Adsunt quoque in parte Sumatrae insulae sep-

---

(1) C. S. W. DE HOGENDORP, l. c. 109. 110. imprimis vero *Noodzakelijke toelichting van eenige zoogenaamde financieële maatregelen van Z. Exc. den Nederl. Comm. Gen. in O. I.* DU BUS DE GISIGNIES etc. p. 3—8. (Amst. 1829).

(2) CRAWFURD, l. c. Vol. II. 353. 354 nota seq. pag. C. S. W. DE HOGENDORP, l. c.

(3) Cf. V. ALPHEN, 131. 222. CRAWFURD, l. c. 356. *Noodzakelijke toelichting* caet. l. c.

tentrionali, verum major eorum quantitas in Java insula invenitur. Aves, qui hos nidos conficiunt, hirundinibus esculentis similes sunt.

Nidi a se invicem differunt ratione coloris, ponderis et structurae. Praecipuae nidorum partes e gravissimis et optimis ciborum reliquiis, quibus aves utuntur comparatae sunt, non vero e maris spuma, ut nonnulli contenderunt. Avem incolae *Waled* vel *Boerong-Daija* vocant, etiam *Lawit.* Imprimis inveniuntur in *Karangbolan*, quae regio juncta cum Provinciis Principum interioribus quotannis circiter 100 mensuras pikol dictas nidorum exhibet. Nidi apud Chinenses argenti instar habentur. Optimi inveniuntur in cavernis humidis imprimis, quando avis nulla adhuc deposuerit ova. Optimi generis nidi albi sunt coloris, vilioris generis vero fusci sunt. Java insula quotannis 340 pik. praebet, reliquos praebent Sumatra, Borneo et Madura insulae, vulgo ad 530 pik. quantitatem. Banca et Bali 345 pik. et reliquae insulae simul 343. In praefecturis Djocjocarta et Souracarta, hos avium nidos administratio Batava emit et summam *f* 140,000, ad *f* 160,000 praebent (1).

Verum haec satis superque sunt, ut speciminibus quibusdam ostendamus, quanti moment sit agricultura in Java insula. Multum abest ut omnia recensuerimus culturae genera: insignes enim sunt et multiplices proventuum species in regione tam fertili: praecipuas exposuisse, et varium quod subierunt fatum indagasse huic nostrae Dissertationi congruum videbatur.

Paucis tamen hoc loco subjungenda sunt ea, quae universe ad culturae rationem pertinent. Satis notum est Societatem Batavam culturae haud magnam vel potius nullam habuisse curam, saltem peregrinorum proventuum culturam incolis liberam non constituisse. Praeter oryzam, alii proventus certis legibus et conditionibus praestandi erant, ita ut tota cultura, oryza excepta, tantum Societatis dominium efficiebant. Sortes incolae quidem non habebant, verum raro Europaei sortes impenderunt, ad hunc illumve proventum extendendum.

Hodie quum systema coactarum exhibitionum tantum in limitata quadam Javae parte servata sit, illud non regula, verum generalis regulae exceptio dicenda est, quae in una tantum regionis parte adhuc viget. Cujus exceptionis hanc causam conjicimus.

Preanger–praefecturae, quae coffeae emporium constituunt,

---

(1) Crawfurd, l. c. Vol. II. 296 seqq. Raffles, l. c. Vol. I. 50. 51. *Revue Britannique Mars* 1831. p. 190. v: alphen, l. c. 192. *Verhandel. v. h. Batav. Genootsch.* Vol. I.

ab Anglis sub veteris administrationis forma servatae, ad Batavos transierant. Systema redituum territorialium huc usque propter temporis brevitatem, istos non praebuerat effectus, e quibus de ejus valore et aptitudine argumentari posset. Maturis consiliis opus erat, ne repentina mutatio omnia emolumenta deleret. Et si eos audiamus, quorum experientia, fides et peritia in rebus Indicis, magnam iis tribuit auctoritatem, omnes uno ore profitentur, hanc rerum administrationem incolis placere, neque eos urgere aliquam vexationem vel injuriam: suis obediunt praefectis harum regionum incolae, et culturam tam juste curant, ut nulla oppressio eam vitiet. Omnes viae et transportationis subsidia commoda sunt. Aedes mercibus condendis in provinciis dispersae sunt, et proventus, pretio condicto modico, administrationi praebent, quae coffeam ex Preanger-praefecturis publicis venditionibus distribuit. His aliisque causis nimis longis, quam ut hoc loco eas proponamus, tribuendum, quod administratio hodierna, quae lenissimo imperio Javanorum amorem sibi conciliat, potius hanc formam retinuerit, quae monopolii nomine quidem insigniri potest, sed cujus vocis significatio nullam in incolas exerceat vim, neque culturae emendationem impediat. Cum administrationis commodo indigenarum salus arctissimo vinculo juncta est: hanc leviter inconsiderateque turbare ad uniformem quamdam administrationem constituendam, et iniquum et inconsultum sit. Unumquodque principium theoretice propositum in praxi veram exserit vim: verum si ista theoria non nitatur vera et recta notitia eorum, quibus aliquid instituere velimus, inutile erit eam in praxin convertere.

Administratio hodierna caeteroquin liberam culturam promovet, omniaque facit, ut agricolis liberam curationem in laboris et industriae fructibus concedat, ut commercium apud incolas incitet, et emolumenta, quae propria industria sibi comparant, illis integra relinquat. Hoc effecit, ut increscente incolarum frequentia indigenae opes colligant, quibus per tributa directa vel indirecta necessitatibus fisci colonialis prospiciunt: ut ista incolarum frequentia possit sibi luxus et commoditatis subsidia comparare, quibus postea amplius indigere nescii, industriam emendent, certam latamque praebeant opportunitatem omnium proventuum parandorum, quos Batava industria profert: quique adeo cum soli proventibus pretiosis commutari possunt. Verum hic non praetereundum, quod docte monere videtur vir rerum Indicarum doctrina insignis, latum regionum incultarum ambitum in Java revera dignum esse, qui Europaeorum industria et sortibus elaboretur. Imprimis in magnae extensionis domaniis terrae plane incultae ad eas quae jam cultae sunt, se habere existimantur ut 7

ad 1, eaeque in quibus domini nonnullas fecerunt emendationes et impensas ut 7 ad 2 (1). Verum ut ea res effectum habeat, necesse est, ut constet quale iis agriculturae genus adhibendum sit. Nam sine recta earum rerum notitia, quas exsequi volumus, sine cognitione institutorum, principiorum et legum, regionum istarum, ubi quis sedem constituere vult, sortium depositio infructuosa sit. Oryza, coffea, piper, herba Nicotiana, saccharum aliique proventus, qui certum praebent lucrum, et incolarum proprii sunt, ab iis excoli possunt sine ulla Europaeorum industria, verum ad hanc industriam promovendam, sortes Europaeae revera magna adferunt praesidia, neque ullum apud administrationem Indicam inveniunt impedimentum. Contrarium experientia probat: etenim haec administratio regiones cessit, subsidia impendit ut sacchari et Isatis Indici aliorumque proventuum culturam excitaret: verum fidelis et propositorum tenax, incolarum multitudinem vel agros jam cultos cum his non conjunxit, quandoquidem secundum aequitatis et sanae politicae doctrinae principia incolas hoc suo jure et dominio orbare non voluit. Omnium machinarum importationem liberam fecit, quo cum effectu, manifestum est. Omnia tandem amovit impedimenta et difficultates, et insuper saepius magnam pecuniae summam industriae excitandae contulit. In hac liberali imo moderata agendi ratione, benevolentia quaedam cernitur, quae nihil aliud spectat, nisi publicae salutis emendationem. Quod enim tentamina saepius spem frustrarint, illud potius eorum culpae tribuendum, qui nimis magnam eorum exspectationem habuerant (2). Verum haec de cultura ejusque ratione diversa in Java insula sufficere videntur. Haec possessio colonialis ex diversis composita est partibus, natura sua sibi saepius adversis ac inimicis; in ea humanitas et industria imprimis lente progrediuntur, et universalia principia Politica haud raro injuste imo inutiliter ad eam adplicari possunt.

---

(1) C. S. W. DE HOGENDORP, l. c. 190 in nota.
(2) Vid. op. l. Leeuwardiae typis expressum, p. 34 seqq. V. ALPHEN, l. c.

SECTIO TERTIA.

§ 1.

De *Redituum Territorialium systemate in Java insula.*

Initio hujus Partis vidimus, quomodo Societatis Batavae dominatio paullatim aucta, et quibus juribus constituta sit hodierna administratio. A quo tempore Javae imperium inter duos Principes divisum fuit, qui curae et tutelae Societatis se tradiderant, Principatum in tota insula nacta est (1), quam a. 1812 magis confirmavit et recentioribus temporibus denuo amplificavit. Multa et continua bella, quae per omne fere medium Saeculum XVIII gessit Societas, impedimento erant, quominus certum quoddam systema tueretur, ita ut ne cogitaret quidem de reformandis ad peregrina instituta et liberaliorem modum istis systematis principiis, quorum origo a civitatis natura repetenda est, et quibus conservandis pacatam et aequam administrationis formam se tueri, prudenter existimavit. Quod si imprudentiae testimonium sit, mutationem aliquam inducere, antequam certo scias utrum ea profutura an obfutura sit, iniquum profecto sit speciosa quadam theoria, quae in eventu noxia reperiatur populi alicujus salutem et prosperitatem evertere. Ea tamen emendare, ad communem salutem convertere, quae civitatis fundamentum et populi jura continent, non tantum utile est, verum cuique Imperanti imponitur, si juste religioseque rem perspicit: est tamen tributorum impositio ubique, verum praesertim apud populum incultum res non tantum difficillima sed et periculosa, quia ab ea pleraque pendent.

Videamus, quatenus Societas Batava incolarum industriam excitare voluerit, postquam quaedam promonuimus de ratione, quam secuta est in percipiendis et exhibendis reditibus territorialibus in Java insula.

Saepius verbo memoravimus, proventuum accipiendorum rationem qualem invenerat et ut per plura constiterat secula a Societate servatam esse, tamquam tributum labori in natura impositum. Proventuum praestationes pactis et foederibus cum Principibus initis sibi comparaverat. Indigenae illas praebebant, imo

---

(1) Durante seculo XVI enim Societatis imperium non tantum ad littora septentrionalia pertinebat, verum Preanger-praefecturae Cheribon, Caput insulae orientale ejus ditioni suberant. *Soesoehoenang* sive Javae Imperator has regiones Societati iisdem juribus et honoribus cesserat, quales eas a patribus acceperat.

ita ut eorum Praefecti indigenae (*regenten*) omni administratione fungerentur ipsi, eoque loco a Societate haberentur, qui et dignitati suae et Praefectorum juribus conveniret (1). Istae praestationes coactae (*gedwongen leverantien*) tamen saepius male intellectae, ita propositae et dijudicatae sunt, ut hoc laboris genus nonnulli cum opera quam praestant servi in coloniis Occidentalibus comparare voluerint. Labor praesentibus et consulentibus fit eorum Praefectis et primariis. Atrocitas semper abest. Opera ab unoquoque praestanda singulis anni temporibus definiebatur (2). Hae operae imprimis eos proventus spectabant, qui a Societate introducti sunt: et ob hanc rationem potissimum introduxit, ut majora et certa haberet emolumenta. Vitium quod in hoc principio erat, illud diceremus, quod praeter praestationes coactas definitas, et plures cum in pecunia tum in natura desiderari possent; verum haec magis ad abusum quam rem ipsam pertinent. *Coffea* Societati pretio condicto exhibita fuit, quam praestationem incolae Praefectis faciebant, hi iterum Gubernatoribus Batavis, donec tandem ad Societatem perveniret. Haec cultura istis limitibus circumscripta erat, ut aliis libertas concessa non esset utcunque vellent hanc culturam extendendi.

Coffeae cultura tota ad Societatem pertinebat, eaque incolas ad definitam quamdam coffeae-arborum plantationem incitabat (sic v. g. in Preanger-praefecturis unaquaeque familia 1000 arbores curare debebat) quam coffeam pretio condicto ab incolis emebat. Rusticus igitur nullam hujus culturae curam habebat, et nihil spectabat nisi pretium, neque quidquam sibi proprium servabat, ut in cultura oryzae, de quo disponere, quodque potest vendere. *Oryza* contra, aliam administrationem habebat. Societas Batava agros Praefectis indigenis cedebat; qui iterum partes exiguas ducibus minoribus tribuunt, hique duces iterum certas terrae partes inter incolas dividunt, ea conditione ut in mensibus annuis,

---

(1) De hisce praefectis indigenis haec memorat Ampl. NEDERBURGH, l. c. 54. De Regenten moeten in de daad worden als stedehouders van de Compagnie, die wel van harentwegen de hun toebetrouwde districten besturen, en gehouden zijn hare bevelen op te volgen, maar die echter dit geheele bestuur uitoefenen naar 's lands wijze, en alleen door middel van hunne onderhoorige Javanen, welke hun dien zelfden eerbied, dat zelfde ontzag toedragen, als of zij werkelijk onafhankelijke opperheeren waren, waardoor zij ook een daaraan evenredig, en gevolgelijk zeer groot aanzien genieten.

(2) Multi, solo verbo *coactum* inhaerentes, neque veram ejus notitiam tenentes, hoc institutum summam vocaverunt injuriam. Ampl. V. ALPHEN recte mihi animadvertere videtur hanc esse differentiam in tributis, quod in Asia *gedwongen arbeid* in Europa *directe belasting* vocatur quod in Asia minorum tributorum exigendorum major regularitas sit, quam in Europa, ubi majora adsunt subsidia, major doctrina, melior oeconomia.

partem aliquam exhibeant. Haec pars tamquam *tributum* aestimari potuit, quoad Principem i. e. Societatem et Praefectos indigenas, et tamquam *census* et *locatio* quoad duces minores, quum incolae conductores sint. Principis, Praefectorum minorum partes (*aandeelen*) *contingenten* vel tributa in natura praestanda, vocantur. Haec tributa, quae oryzae culturae imposita erant, in 6 vel 7 messis parte constant, Principi praestanda. Quum autem saepius difficile esset incolis ob parvum oryzae agellum, tributa solvere, melius quoque erat hoc tributum in officiis dominis praestandis (*Heerendiensten*), quam in oryza contribuere (1). Haec officia imprimis culturae proventuum, quorum venditio et in interno et in commercio externo insignis est, inserviunt. Oryzae pars maxima tantum vel pretio inferiori vel nullo pretio praestanda erat. Coffeae cultura substituta fuit oryzae culturae. Agri, qui Principis dominium efficiebant, tunc omnibus oneribus tributisque sublevantur, quae Princeps iis imponere potuisset, atque sic coacta ista cultura servitus quaedam fit, his oryzae-agris imposita. Oryzae agros tamen retinebant ut necessitatibus vitae prospicerent. *Saccharum* vero, libera nitebatur cultura et opera, et imprimis a Chinensibus fuit excultum. Quando oryzae tributum Principi solutum, aliaeque obligationes praestitae erant ea quae remanebant, Javani propria fiebant (2). Haec qualiacunque instituta pertinent ad populum in humanitatis infantia adhuc consistentem; eo tempore, quo Java adhuc continuis bellis implicita fuit, Societatem illa conservasse et prudentiae et justitiae testimonium est. Societas administrabat et incolas ab omni tributorum pecuniae numeratae praestatione liberavit, simulque ab omni vexatione, quae cum hujusmodi tributorum exactione conjuncta esse solet. Verum postquam Societas in Java Principatum obtinuisset et incolarum opera ordinare coepisset, hoc institutum excolere, emendare et secundum omnium salutem mutare potuisset. De coffeae cultura supra pluribus diximus: specialis causa, quam exceptionem esse diximus, prohibet, quominus in hac insulae parte libera cultura vigeat, verum mirum sane videri poterit, quod ipse hic proventus sive coffea, e cujus cultura tam magna proveniunt emolumenta, hodieque adhuc aptus non judicetur, ut arbitrio in-

---

(1) Idem NEDERBURGH, l. c. p. 190. haec de his officiis disputat. Op het eiland Java, kunnen de *Heerendiensten*, volgens de eigenlijke en primitieve inrigting, niet anders beschouwd worden, dan als eene vrijwillige overeenkomst tusschen den Vorst of regent, en zijnen landzaat, waarbij deze zich verbindt om deze of geene diensten te praesteeren, en daarvoor bedingt hij het genot van zeker terrein rijstveld, welke soort van besoldiging voor den Javaan verkieslijk is etc.

(2) NEDERBURGH, l. c. 52. 53.

colarum relinquatur. Societas Batava in hoc redituum percipiendorum systemate nihil mutavit, fortasse quia ea quae terra procreabat sufficiebant usui et venditionibus Societatis. Verum utrum hanc terram tantopere excolere debebat quantopere ipsi utile erat, an vero populi, quem regnabat, salutem et industriam excitare? Quamvis lubenter eorum sententiae accedimus, qui haec consilia a Societate inita revera facilia existiment, quae tamen tamquam salutaria proponi nequeant, neque talia, quae nulla indigerent mutatione et emendatione.

Dolendum sane est Societatem Batavam in multis ea firmitate non egisse, quae recte instituta et ad eventum perducta certe populorum conditionem emendasset, eorumque emolumenta amplificasset. Quod lento gradu humanitas apud barbaros populos procedat, et historia et ipsa disciplina probat, verum quod eo humana natura quoque tendat ut statum et conditionem emendare possit, et eadem probat historia, et unusquisque sentit. Nullum dubium, quin si Societas systema suum sensim sensimque mutasset, incolarum industriam variis modis excitasset, administrationem internam paullatim ad se convertisset, majoresque rationes cum indigenis contractas habuisset sine multis discordiis mutationem introducere potuisset, et horum populorum conditionem emendasset. Angli, postquam totum imperium Mogolicum ad eos transierat, talia subsidia adhibuerunt, quae serioribus temporibus ab iis in possessiones Batavas quoque translata sunt, ut infra videbimus: subsidia quae et prosperitatem communem, et civium jura amplificarunt: si Societas post Javam insulam subactam idem fecisset, majora commoda habuisset. Reditus Societatis ex pluribus oriebantur fontibus. In Europa, ut vidimus, e valore proventuum venditorum. In India e lucro quod partim e mercium Europaearum venditione, partim e mercatura interna perventuum Indicorum proveniebat: ex reditibus territorialibus, quos hic adnotavimus, e tributis publicis, locationibus, aliisque hujus generis. Reditus annuos Procurator-Generalis NEDERBURGH ad summam *f* 23,087,533 aestimavit, quibus impensae adjiciuntur fl. 22,035,154, ita ut lucri quotannis superessent *f* 1,052,379 (1). Diximus Societatis systema post ejus dissolutionem servatum fuisse ad annum usque 1808; per omne illud tempus accepta tam magna fuerunt ut impensis necessariis satisfacere potuerit administratio Indica. Ab hoc tempore Ampl. DAENDELS rerum administrationem suscepit, multa Societatis instituta retinuit, alia delevit, in iisque quae mutavit, magis vitia auxisse quam quidem emendasse cen-

(1) Ampl. V. ALPHEN, l. l. 135.

sendus est. In exhibitionum coactarum perceptione coffeae nihil mutavit, hanc aptam judicans: piperis, Isatis Indici, gossypiorum exhibitiones abolevit. Ille tamen ex reditibus, quos Societas habuit, impensas resarcire non potuit: verum ubi praesens rerum conditio necessitatibus non sufficiebat ibi talia sibi creavit subsidia, quae non nisi ab homine illius ingenii et naturae exspectari poterant. Domania vendidit, sortes depravavit, censuum tributorumque impositiones coactas instituit et jussit, atque adeo tales sibi comparavit reditus, quibus sumtuosis iisque prorsus non necessariis impensis succurrit. Hos aestimavit ad summam *f* 21,580,000 et impensarum summam ad fl. 11,580,000 statuit: ita ut decem milliones lucri remanerent (1).

Verum hic veteris instituti finis est: aliud successit systema, ad cujus explicationem nunc transeamus: quod praeclaris se commendat principiis et quod majori studio evolvere conati sumus, quum hodiernae administrationis fundamentum sit. Videamus, quae sit instituti origo, quibus nitatur principiis, et quae sit ejus conditio et efficacia in Java insula.

Medio seculo XVI ACBAR Hindostani imperium suscepit. Unus est paucorum Principum, qui Boni et Magni nomine insigniuntur, et unicus originis Mahomedanae, cujus ingenium longe superabat illiberalia religionis istius fanaticae, in qua educatus erat, praejudicia, quique aptus videbatur ad formandam Monarchiam populo cui praeerat dignam. Religionem, doctrinas, leges, et Hindostanorum instituta diligenter investigavit, ut administrationem suam ordinaret, talesque juberet, quae communi saluti inservire possent. Quo in labore, imprimis adjutorem habuit consiliarium primum ABUL FAZEL, qui jurisprudentiae Hindostanae codices dispersos collegit et in compendium redegit. Jussu ACBARIS, omnes terrae aestimatae fuerunt, cujusque villae reditus, uniuscujusque rustici, qui eas inhabitabant, opes examinatae, tributas ecundum agrorum fertilitatem exacta, et ampla quaedam constitutio primum prodiit de redituum territorialium perceptione. Verum et temporum vicissitudinibus et barbarie Mahomedanorum victorum hoc institutum paullatim evanuit: nam modus, quo Hindostani rustici terras possidebant, est locus in constitutione ejus civili antiqua gravissimus, de quo adhuc inter viros rerum Indicarum peritos disceptatur (2).

Nonnulli existimarunt agri proprietatem a corona translatam

---

(1) Ampl. v. ALPHEN, l. l. 135.

(2) *An Historical disquisition concerning the knowledge which the ancients had of India* by WILLIAM ROBERTSON. 406. 310. *Description de l'Inde* par BERNOUILLI. II. 223.

esse ad praefectos hereditarios indigenas *Zemindars* vocatos, qui tributa exigerent ab incolis, et agros quotannis vel stato tempore distribuerent: alii contra contenderunt horum exactorum Indicorum munus temporarium esse et ministeriale, ita ut redituum exactio eorum curae demandata esset, sed quoque a Principe munere suo destitui possent, omnemque insuper incolarum possessionem a Principe emanare atque in eum redundare (1).

Zemindars stricte dicti agrorum-possessores, generaliter proprietarios esse, conjiciebant, partim a denominatione Persica, partim quia in possessionibus Anglo-Indicis plerisque in agrorum possessione erant. Zemindars diversa tributa exigebant ad decem aestimationis, aliquando agros sibi subjectos habebant, et insigni muniti erant auctoritate: meum non erit, gravissimam hanc disquisitionem historicam pluribus indagare, quippe a proposito alienam, et quoad administrationem Anglicam, jam determinatam. Monuisse sufficiat Illustrissimum CORNWALLIS qui jure principio se opposuit «*Principem universalem esse dominum*,» nodum quoque intercidisse et statuisse, si nulli adessent domini, creari debere, et ex hac dispositione Zemindars, ab Anglis agniti sunt, tamquam soli domini, quum diserte aliarum partium jura reservata fuerint, quae praescriptione vel alia qualicunque ratione aliquod in agros exercere poterant jus. Haec agnitio, quamvis justam prae se ferat rationem, tamen ideo periculosa visa est, quia jura dominorum minorum et locatorum adhuc incerta et indefinita erant: verum administratio Anglica hanc viam ingrediendam putavit, simulque decrevit, ut quaestiones, quae in posterum de dominorum vel locatorum juribus proponerentur, tribunalibus judiciariis submitterentur. Istud perfugium certum utileque fuisset, si leges accurate jura definivissent, vel si usus et consuetudo auctoritatem quamdam exercere potuissent in regione, ubi per longam annorum seriem non nisi jus fortioris viguit.

Zemindars reditus exigebant in iis terris, quibus praeerant.

Verum nunc prima quaestio erat, utrum aestimatio (*settlement*) Zemindars concessa, ad *certum quoddam tempus* constitueretur, an administratio aestimationem *semel in perpetuum*

(1) ROBERTSON, l. c. 409. Constat ex veteris aevi traditionibus omnem administrationem originem sumsisse e lege Muhamedana, in qua religio et jus arctissimo vinculo secum invicem conjunguntur. Populus agri-tributum regi solvit quia Monarchia proprietas regia est. Atque in omnibus Indiae monarchiis, proprietas ad solum pertinet Principem, qui dominium *directum* exercet, quum utilitas i. e. usus ad incolas pertineat ea conditione, ut proventuum partem contribuant. STRABO, XV. 1030. DIOD. SICUL. Lib. II. 153.

definiret? Post gravissimam longamque disputationem inter CORNWALLIS et SHORE tandem statutum est, ut ista aestimatio diuturna *permanent settlement* foret. Hoc decretum praecesserant accuratae terrarum aestimationes, earum fertilitatis, magnitudinis et conditionis, et primum ad decem annos, tandem diuturna possessio (1793) concessa fuit (1).

Illustr. CORNWALLIS, qui durante sua administratione, tam salutaria instituta suaserat, imprimis ob hanc legem, quae revera industriae incrementum est, magnam sibi comparavit gloriam (2). Istud *permanent settlement,* nobilissimum est monumentum justae et liberalis administrationis, quod umquam in regione devicta exstiterit. Reditus insuper ab auctoritate judiciaria separavit, et finem imposuit isti potentiae monopolio, quo huc usque imprimis in his regionibus abusi erant. Muhamedanae legis barbariem frenavit eamque emendavit, codicem conficere jussit, quo administrationem, singulorum libertatem et indigenarum jura confirmaret, quem codicem gravissimum opus dixerunt, in difficili legislationis et jurisprudentiae arte, in conditione ab omnibus justitiae principiis et integra regiminis forma, remota (3). Bengaliae et regionum vicinarum reditus e tributo oriuntur, agris pro magnitudine et proventuum copia imposito: saepius quoque messis, ad fori pretium aestimata est et possessor tamquam tributum, partem ejus praebebat. Sic v. c. agri, qui oryzam aliaque frumenta procreabant, in pretio universo *messis dimidiam* (de helft van den inzaam) solvebant. Hi reditus ante Anglorum administrationem ad *Mogol* pertinebant. *Ryots,* ut vulgo vocantur, sunt *rustici,* qui terram colunt et secundum locationis indicem, *pottah* dictum, agros possidebant. Hae *pottahs* revocari non poterant, quamdiu conductor tributum accurate solvebat: imo si forte huic obligationi satisfacere non posset, regionis instituta ea adversus eum utebantur moderatione, ut ex hac possessione ejici non posset, nisi post annum, idque non

---

(1) HENRY ST. GEORGE TUCKER, *a Review of the finantial situation of the East-India Company.* (1815) 92 seq. 96.

(2) *De Staatsgeschiedenis van Indië* van 1784—1823. naar het Engelsch van den Generaal MALCOLM door J. OLIVIER (1829) Vol. I. p. 35 seqq.

(3) TUCKER, l. c. 104. 105. 107. 108. imprimis *permanent settlement* summis extollit laudibus et haec dicit: «With all its imperfections, real or imputed, the «permanent settlement» as the source of *genuine good*, stands unrivalled among all the measures of our administration in India. By limiting the demand of the exchequer the residuary produce of industry became a property, and the labour of the country was stimulated into active employment. A Wilderness, as if by magic was converted into a garden: capital was created: the surplues of the soil was preserved: and the abundance of one province, or of one season, supplied the deficiencies of another.»

soluto tributo stipulato (1). Post imperii Mogolici conversionem, regiones alios quidem dominos accipiebant, verum administrationis instituta eadem remanserunt. A. 1765 Societas Anglica supremam Bengaliae dominationem sibi arrogavit, et Illustr. CLIVE ejusdem anni 30 Septemb. ad Gubernatores haec verba misit. «Insignis imperii domini evasistis, non tantum exactores sed et proprietarii estis redituum domaniorum *Nababi*» (2). Nabab locatoribus minoribus summam quandam praebebat, illi hanc iterum ryots sive rusticis tradebant, qui inde agriculturae impensis satisfaciebant. Hoc systema vulgo *Roytwar system* vocatur: unde patet duo vigere in Anglo-India redituum territorialium systemata *Roytwar system* et quod supra exposuimus *Permanent settlement.*

Prius aestimabat contributiones ad dimidium proventus in agris exstantis: quae aestimatio fit vel comparanda contributione cum aliis ejusdem generis terris, vel cum contributionibus prioribus ejusdem agri partis, vel cum aestimatione proventus in agris crescentis ad tempus messis vel etiam in tota messe simul aestimanda. Hoc systema Angli in Javam insulam introduxerunt, quum Illustr. MINTO Gubernator-supremus ditionum Anglo-Indicarum ibi a. 1811 cum insigni ministrorum corona advenisset. Quam primum opinio novae cujusdam administrationis in Javam introducendae dominabatur, omnia quoque adhibita sunt ut ea effectum haberet. Cum ejus institutione igitur omnium *operarum coactarum, exhibitionumque abolitio* conjuncta fuit, exceptis in Praeanger-praefecturis.

Systema tributorum agris impositorum sive *grondpachten* libera nititur cultura. Nihil aliud est nisi locatio agri pro productionis tributo, per regionem, villam vel conductorem principalem solvendo. Si hoc tributum solverint, liberam habent proventuum dispositionem. Neque hoc systema permanent settlement, vel diuturnam aestimationem agrorum constituit, sed una tantum annui tributi norma erat. Hoc tributum secundum oryzae agrorum procreationem fuit aestimatum, et quidem *optimi generis* agri *Sawah* dicti productionis *dimidiam*

	secundi generis		2/5	solvebant productionis aestimatae.
	tertii	«	1/3	
agri *Tagal* dicti	*primi*	«	1/2	
	secundi	«	1/3	
	tertii	«	1/4	

(1) *Etat civil, politique et commercant du Bengale ou Histoire des conquetes et de l'administration de la compagnie Angloise dans ce pays par* Mr. BOLTS (1775). Tom. II. 47.

(2) BOLTS, l. l. Tom. I. 60.

Illi, qui oryzae agros non colebant, capitis censum *hoofdgeld* solvebant. Exceptis Preanger-praefecturis, ubique hoc systema viguit.

Primarius villae, qui antea rerum administrationem habuerat, quoad ejus villam, quique lites dirimere, reditus accipere, obligationes et incolarum officia persequi solebat iterum institutus fuit. Huic denuo omnia conceduntur jura, quae in ejus villa ad redituum exactionem requiruntur. Rei judiciariae quoque praeest (1).

Angli omnia intenderunt ad certum, constantemque diversarum regionum, fertilitatis agrorum et eorum,. quae statisticam hujus insulae rationem patefaciunt, statum sibi comparandum, verum labor ad finem perducere non valuerunt.

Praeterea cum novo hoc systemate *abolitio Praefectorum Javanensium* conjuncta fuit. Intermediam hanc administrationem inutilem judicarunt, quia ea multis ansam praebere poterat difficultatibus, quae non nisi in incolarum detrimentum tenderent. Quo consilio administratio Anglica satius existimavit cum indigenis per ministros et Gubernatores Europaeos agere; unde exactores tantum cum eo, qui fructum percipit redituum suorum, agere solent. Contributiones augeri non poterant, ut incolae sciant, quae ab iis praestanda sint, et certi sint, ut praestitis tributis, suis frui possint. Solutionis autem modus ob varias rationes incolarum arbitrio conceditur: partim ob pecuniae numeratae penuriam, partim quia inveterata instituta et usus venerari cupiebat administratio, verum imprimis, ut sic duplici hoc subsidio, aestimatio cum in praesens tum in futurum justis et aequis principiis fundetur. Ut omnis abusus praevertatur in contributionum aestimatione, productionis valor ad summam aestimabatur, ad quam vulgo in ipsa villa, statim post messis congestionem venditur, et permutatio in pecunia numerata ad eam ordinari et institui debet (2).

Angli agros ad certum tempus locabant, eo consilio (saltem ita nobis videtur) ut in posterum contributionem diuturnam (permanent) secundum *roytwar system* introducerent. Agricultura indigenarum sortibus fiebat, sed lucrum insigne non erat.

Detailed settlement sive aestimatio individualis, quam sibi proposuit administratio certam agrorum colendorum et cultorum notitiam, ut ea earum fertilitatis et generis requirebat: tabulae

---

(1) Vid. *Revenue instructions* in op. RAFFLESII, *History of Java*. Vol. II. Appendix L. n. II. art. 11 seqq. Decretum adjunxit anonimus vir doctus qui versionem curavit operis eximii CRAWFURD, *de Indische Archipel*. Vol. II. 393. *Instructie de inkomsten betreffende op Java te heffen*.

(2) *Revenue Instructions* in op. l. art. 63. 64. 87. 89.

in hunc finem comparatae, et imperfectae et sordide confectae fuerant, ita ut neque contributionum summa neque contribuentium numerus recte secundum eas constitui posset. Et infelicissimus, quem habuit, exitus, satis probavit, hanc institutionem nullius momenti eo tempore fuisse in Java.

Hoc novum Anglorum systema praeterquam in Preanger-praefecturis, uno quasi ictu omnem delevit administrationem Societatis, plurium saeculorum experientia fundatam. Angli totidem non debebant regioni et incolis, quot Batavi, qui in iis per duo saecula regnantes, aliquam sibi rerum notitiam comparasse, censebantur: ita ut, si Batavi rerum mutationem instituissent, quae exitum haud felicem praebebat, hujus mutationis rationes difficile reddere valerent: Angli contra facilius responderent, illis neque incolas neque regionem cognitam esse, eosque ideo novum hoc systema introduxisse, quia illud aptissimum videbatur. Gaudeamus hac Anglorum firmitate, quam per longam annorum seriem Batavorum benevolentia metuerat. Haec constantia emendatio erat conditionis hujus populi, qui per duo secula in humanitate nullos fere progressus fecerat. Neque eadem ob repentinam quam in omnibus fere effecit mutationem, statim quidem magna emolumenta praebuit, verum fundamentum erat, in quo in posterum prosperitas et populi salus firmiter constituendum erat. Quod autem praefectorum Javanensium auctoritatem aeque celeriter diminuerint, eorumque in rerum administrationem vim deleverint, et sic arctissimum vinculum interciderint, quod necessitudinem Principem inter et subditos confirmasse vix humana memoria recordari potest, illud inconsiderate et imprudenter eos fecisse, existimo (1); verum ista hoc consilio fecisse videntur, quod immediate potius cum indigenis agere, ipsi industriam et varias industriae excitandae rationes indigenis communicare voluerint, quam intermedia quadam administratione, dominari.

Hi praefecti omnem luxum, et externum apparatum conservarunt, et administratio mercedem annuam iis suppeditat, eosque aequavit iis ministris, qui vulgo apud nos *Commissarissen van Policie* dicuntur (2). Forte parva emolumenta, quae Angli ex systemate novo sibi compararunt, praeter alias causas, quoque huic

(1) In his Angli non meminisse videntur, quod docte monuit popularis eorum: « It is of importance to all Governments that they should preserve faith with their subjects: but situated as we are in India, our dominion resting in a great degree upon *moral influences*, it is of peculiar importance that we should command the confidence and esteem of the people. » HENRY ST. GEORGE TUCKER, l. c. 100. 101.

(2) V. ALPHEN, l. c. 318. artic. 52. decreti de juris administratione infra cit. haec dicuntur: de *regenten* hebben het toezigt over de Policie in hunne regentschappen alsmede over de divisie-hoofden, en verdere beamten welke hun zijn ondergeschikt.

missioni praefectorum indigenarum tribuenda sunt, quum incolae assueti eorum imperio, nunc vero peregrinorum potestati addicti, qui saepius neque indolem, neque jura incolarum perspexerant, se novis rebus moliendis a solutione tributorum liberare studuerint.

Verum quidquid alii saepius de Anglorum injustitia quaesti sunt, in Java insula satis probarunt, se brevi tempore talia instituere posse, quae hodieque non tantum fundamentum constituunt nostrae administrationis, sed et merito summis laudibus extolluntur.

Atque sic pervenimus ad tempus, quo aliud successit imperium, quod per duo saecula continuo rerum administrationem habuerat, sed nunc omnem conditonem conversam invenit.

Delegati a. 1816 a Rege in Indiam missi, ad recipiendas ditiones Batavas pacto 13 Aug. 1814 stipulatas, post accuratam rerum temporumque inquisitionem, hodiernam administrationis formam conservare voluerunt, ne rerum cursum intermitterent. Restitutio Possessionum Batavarum in India, non nisi multis cum difficultatibus conjuncta erat.

Novum systema territoriale ab Anglis introductum, huc usque nulla emolumenta dederat, quod perversae administrationi tribuendum videtur. Imo talis in reditibus percipiendis confusio erat, ut Procuratores-Generales convincerentur, solutionem *reliquatorum duas milliones* efficientium, ex annis 1815 et duobus seqq., quaeque tamquam debitum manifestum administrationis Batavae nomine exigebatur, non nisi multis difficultatibus aequari posse (1). Etenim nulla in Provincia, agri accurate aestimati et mensi erant: qualitatis aestimatio agrorum cultorum, art. 81—83 decreti laudati praescripta, incoepta verum intermissa fuit: insignis error erat ratione eorum, qui adhuc solvere debebant, et eorum qui quidem solverant, verum quorum nomina descripta non erant. Verbo, ab initio illud ipsum systema instituendum erat, videndumque num in posterum majori cum cura majora quoque praeberet emolumenta.

Sed Delegati Ampl. melius esse existimarunt, prius principium servare, quam illud, quo aestimatio individualis (*detailed settlement*) redituum fieret, tentare. Contractus renovarunt cum villarum praefectis et redituum perceptionem regularem instituerunt (2).

---

(1) *Besluit van Kommiss. Gen. over Ned. Indie* van 5 Januarij 1819. n°. 22, *houdende kwijtschelding van den geheelen achterstand der landrenten van de jaren* 1815, 1816, 1817. (Staatsbl. v. Nederl. Indie. n°. 8).

(2) Cf. *Besluit van Kommissarissen-Gen. over Ned. Indie van den* 4 Jan. 1819. n°. 1. waarbij met referte aan het besluit van den 9 Maart 1818. n°. 1. *provisionele bepalingen nopens den aanslag en invordering der landrenten worden vastgesteld.* (Staatsbl. van Nederl. Indie n°. 5. et a. 1818. n°. 14).

Hac sunt praecipuae ejus dispositiones:

Quando agri colendi, mensi et aestimati sunt, tributi territorialis census collective per villas fit: qui census (*aanslag*) vel aestimatio tributi ad solvendum quotannis renovatur eo tempore quo frumentum ad maturitatem pervenerit, ita ut praevideri possit qui futurus sit messis eventus, Praefectum Batavum (*Resident*) inter et ministrum qui villae praepositus est, sustentum et adjutum a nobilibus, in anni spatium, a prima Januarii ad Decembris diem ultimam. Haec aestimatio fit, ratione habita eventus annorum praecedentium, comparata cum rerum temporumque vicissitudinibus quibus villa obnoxia est, et cum futurae messis eventu. Primarii et Majores singularum villarum curant, ut agri iterum dividantur ad tempus quo agriculturae opera renovanda et instituenda sunt: omne delictum graviter punitur. In iis provinciis vero, ubi incolae agros certos habent sive industria seu majorum indulgentia acquisitos, jus eorum tuetur. Quando rusticorum numerus villae cujusdam nimis exiguus est ad agros colendos, qui ad hanc villam pertinent, jubente primario, alii rustici villae vicinae hos agros excolere possunt, si qui velint. Villarum primarii accipere et rationes exhibere debent pecuniarum, quae locationis summam sive aestimationem efficiunt: omnium rationes dare debent, et si quis solvere non possit, ejus notitiam ad Gubernatores deferre tenentur (1). Ut apud Anglos sic et nunc rustici in natura aeque ac in pecunia numerata, tributum solvere possunt. Post unam quamque aestimationem annuam mercium sive proventuum, pretium in contractu constituitur et adnotatur; ut et termini quando solutiones praestandae sunt, ita ut exinde omni errori et fraudi prospectum sit (2).

Systema hoc territoriale in regionibus introductum est, quae 3,300,000 incolas continent, contributiones in pecunia aestimari solent, sed contribuens eligere potest, et non tantum in natura v. c. in oryza sed et in aliis proventibus solvere potest, quorum pretium definitum est.

Quod contractus adtinet, hi semper duobus linguis conficiuntur et administratorum et administrandorum: valor, ad quem oryza, coffea, piper caet. ab administratione accipiuntur, ei inseritur. Hoc modo imprimis industria excitatur, eaque est ejus efficacia in agriculturam, quod nulla fere exempla proferri possunt, quibus patet tributum in proventibus solutum fuisse (3).

Contributio partis dimidiae proventuum in agris procreatorum

(1) Vid. universe *Besluit van Komm. Gen. van* 13 Julij 1818. n°. 2. cum *Provisioneele Instructie* (Staatsbl. van Nederl. Indie. n°. 49).

(2) Decret. laud. 4 Januarii 1819. (3) Decret. laud.

in *Sawah-agris* utriusque systematis principium est: verum systema Anglicum secundam messem in uno eodemque anno nullo tributo oneravit: hodiernum systema vero, a secunda messe in eodem anno idem tributum denuo requirit: unde patere videtur, ea quae remanent satis superque esse ad vitae usum.

Quoad administrationem tantum memorare sufficiat, omnem auctoritatem indigenarum Praefectorum (*regenten*) hodieque abolitam esse. Primarii villae, qui sub auspiciis praefecti Batavi rerum administrationem in suis villis excercent, imprimis apti videntur ad necessitudinem cum indigenis contrahendam (1). Primariorum numerus in Java circiter 19,000 est. Eorum quae exigunt, $8^{1}/_{2}$ pCt. accipiunt et redituum iis praestandorum solutio in pecunia fit, sine discrimine utrum tributa in pecunia an vero in proventibus soluta sint (2). Horum necessitudo cum Batava administratione est indirecta, et fides, qua universe apud incolas Javae insulae gaudent, revera in causis est ut semper cum eadem benevolentia tributa soluta sint neque fraudibus aliqua opportunitas concedatur.

Hoc systema quotannis fisco coloniali 6 ad 7 milliones florenos addit, et revera hac imprimis laude dignum est, quod variis modis incolarum industriam augeat, iis plenam perfectamque sui laboris concedat dispositionem, postquam tributa solverint, et non dubium quin nunc paullatim eo perveniant, ut in posterum majoris momenti res peragere valeant incolae, ad quas hodie saepius alii adhiberi solent.

Reditus et tributa, quae hodie admistratio e diversis fontibus percipit ad summam *f* 21 ad 25,000 aestimantur, aliquando haec summa major, aliquando minor est, planeque pendet a rerum temporumque vicissitudinibus (3). Expensarum accurata aestimatio proponi nequit, neque eas mihi comparare potui tabulas, quibus expensae vulgares accurate et singulatim conscriptae sunt, e quibus pateret, sub diversis administrationis periodis eandem fere esse redituum annuorum summam, expensas tamen auctas esse. Verum quum hodie et cultura et administratio majores accipiat fontes, unde majora emolumenta proveniant, non dubium, quin aliquando hi reditus annui augeantur!

Sed quaestio hoc loco interponi solet, an non expediret haec tributa territorialia ad certam et fixam quamdam aestimationem constituere?

Quamvis rem e longinquo dijudicans, tamen collatis quae pro

(1) Cf. *Publicatie van den* 8 Januarij 1819, *houdende bepalingen omtrent het verkiezen van de Dessas of Dorpshoofden.* (Staatsbl. van Ned. Indie. n°. 13).

(2) Vid. *Publicatie* van den 23 Maart 1827. (Staatsbl. v. Ned. Indie. n°. 37).

(3) Ampl. V. ALPHEN, l. c. 122. 134.

et contra disputata fuerunt, profiteri debebo, cui accedam sententiae. Illi enim qui negant, hoc potissimum probare mihi videntur, systema redituum territorialium hodiernum revera multis se commendare nominibus cum a parte incolarum quorum certa est opera, tum administratorum, qui definitum quoddam tributum exigunt. Ex hoc vero eorum testimonio nullum argumentum duci potest, quare illud non amplificaremus, si fixa quadam aestimatione eadem vel majora commoda comparari possent. Ampl. CORNWALLIS, qui *permanent settlement* in Bengaliam introduxit, dominium agrorum ad *Zemindars* vel exactores Indicos detulit, quod in Java locum habere nequit. Moderata quaedam reditus aestimatio, quae secundum fertalitatem soli, situm et culturae rationem instituenda esset per villas, longe praeferenda videtur mutabili cuidam aestimationi secundum messem, et tunc quidem ad computationem, quae necessarios vitae proventus ad nimium pretium constituebat: cui accedit opportunitas augendae aestimationis, ut ita administrationis desiderio satisfiat (1).

Quum Angli *roytwar system* in Java introducebant, revera sibi proposuisse videntur, in posterum diuturnam quamdam *settlement* instituere: eamque multis se commendare nominibus satis probatum ex eventu quem in Anglo-India praebuit. Ampl. VAN ALPHEN in Orat. cit. (2) modicam quandam reditus agri aestimationem proposuit, ita quidem ut quinto vel decimo quoque anno nova haberetur inspectio, quae ad culturae gradum ejusque in terras adhuc incultas propagationem adtenderet: ita ut haec inspectio non ipsam aestimationem culturae, verum amplificationem spectaret: nisi tamquam immutabilis aestimationis transitus tributorum territorialium, necessarium judicaretur, ut praecederet locatio sive aestimatio ad 3 annos, quo tempore praeterlapso manifesta essent vitia si quae forte inessent: et tum demum decennalis revisio locum habere posset: quae tantum terrarum incultarum elaborationem spectaret. Lubenter confitebimur hoc viri Ampl. principium multis se commendare nominibus, imprimis quia major regularitas exinde in toto systemate redituum territorialium exoriretur et agricultura majora quoque acciperet incrementa; sed contra eorum doctrina quoque rejicienda non videtur, qui existimant tale systema definitum constitui non posse, antequam agri mensi, eaque universe notitia comparata est, quae ad certam aestimationem constituendam requiritur, quique adjiciunt, plurimas regiones ubi

(1) VAN ALPHEN, l. c. 122 et 215.

(2) P. 214. eene gematigde, vaste bepaling van rente van het land naarmate van de geschiktheid, vruchtbaarheid van den grond, ligging, meer of mindere onkosten van bebouwing, dorpsgewijze te regelen en vast te stellen caet.

hodiernum systema viget nondum eo pervenisse, ut utiliter certa norma constitui posset (1). Si igitur haec eo perduci possent, ut incolae apti forent ad certam quamdam redituum exhibendorum aestimationem conservandam, hoc principium magni foret momenti: forte in posterum certiora de hac quaestione dici poterunt: neque a me exigi potest, ut ego qui rerum statum adhuc non investigavi, istam difficilem quaestionem penitus dirimam, quam tamen ideo memorandam duxi quia cum praecedentibus cohaerebat!

§ 2.

De agrorum sive terrarum cessione in Java insula.

Gravis recentioribus potissimum temporibus quaestio inter rerum Indicarum peritos proposita fuit: quatenus scilicet, expediat, agros sive terras in Java insula vendere vel cedere? — Animadvertendum hanc quaestionem non esse confundendam cum ea disquisitione, quae ab omni tempore viguit hodieque adhuc viget, de *dominio territoriali* in India: quandoquidem haec magis jura Principis circa regionem definit et constituit.

Quaestio de concedendis et vendendis terris, ab iis imprimis agitata fuit, qui contra sanae Politicae et administrationis principia, immoderatam quamdam ab Imperio libertatem petunt, ut singulorum commodo satisfiat. Ut in multis sic et in his medio tutissimus ibis.

Possessio in India universe, et specialiter in Java insula *dominii* significationem habet, ita ut locationem, emphyteusin, venditionem contineat. In legislationis Indicae traditionibus antiquissimis, in lege Muhamedana, rustici *soli domini* vocantur. Societas Batava, agros quidem vendidit, verum agri dominus ejus systemati subjectus manebat: i. e. quum agri, quos Societas pactis ad se converterat, dominis venderentur, illi tamen omnium proventuum culturam coactam Societati praebere debebant, ita ut hi agri quamvis venditi tamen eosdem reditus exhiberent, et sic emolumenta in eundem ac antea redirent, verum alium administratorem acciperent. Haec dispositio sub Societate revera utilis fuit, nam ea suis commodis reliqua omnia supposuit, et insuper hac justitia egit, ut ea quae exhibenda essent, aestimaret ad pretium forense (2).

---

(1) C. J. W. DE HOGENDORP, l. c.

(2) Ex analectis patet coffeae pretium decreto 14 Apr. 1711 per pondo ad 8 stuv. constitutum fuisse: decreto 8 Januarii 1826 ad imp. picol 125 pondo: decreto 24 Januarii 1730 ad 7 imp. picol: decreto anni 1778 ad 6 imp. picol 140

Gubernator DAENDELS d. 13 Mart. anni 1809 decrevit, ut jus dominii quoad tales terras ab omnibus limitibus liberum foret, dispositiones factas, secundum quas agrorum domini in regionibus Bataviae circumjacentibus ab incolis pacto, emphyteusi vel locatione non ultra $^1/_{10}$ partem de agrorum proventibus, stipulari possent, delevit (1).

Gubernator TH. ST. RAFFLES idem principium tuebatur, sed agros quos in Preanger-praefecturis vendiderat, tantum submisit coactis exhibitionibus *coffeae* ad summam 6 imperialium per picol. — DAENDELS jam antea caeteras exhibitiones coactas v. c. *piperis, indigo* et *gossypiorum* aboleverat. — Hoc pretium ideo modicum dicendum, quia pretium coffeae forense erat 7, 8, 9 imp.

Administratio Anglica universe agrorum venditionem promovit, et quidem eatenus, ut aliquando Gubernator ab administratione Bengalensi, cui Java insula eo tempore subjecta erat, hanc ob causam accusatus fuerit.

Post restitutam dominationem Batavam in Java, administratio, neque agnoscendis neque improbandis agrorum venditionibus ab Anglis factis, eas probasse videtur.

Effectus agrorum venditionis vigente cultura libera — qua unicuique sortium in unoquoque culturae sive industriae genere deponendarum libera conceditur facultas — alii sunt, quam vigente systemate Societatis. Ab eo enim tempore, quo DAENDELS agros ab omnibus limitibus liberavit, quibus antea obnoxii fuerant, emolumenta quoque evanuerunt quae ab administratione Societatis percepta sunt, et transibant ad agrorum dominos, nisi quatenus administratio sibi tributa reservasset his agris imposita. Insuper omnes agrorum inhabitatorum venditiones *jurium possessionis* violatio dici possunt, quae jura ad incolas a tempore ultra memoriam remoto, pertinent: nam agrorum venditio in India nihil aliud est nisi venditio et alienatio operarum nonnullorum milliorum hominum emtori regionis cujusdam extensae (2). Neque si de principio quaeratur, eorum sententiae favere possum, qui existimant, agrorum latissime patentium venditionem cum insigni incolarum numero utilem esse. Primum illud damnosum puto, quia fieri posset, ut talis agri dominus jure suo abutatur non tantum in eos qui ei subjecti sunt, sed cum magna

---

pondo: decreto 1791 idem solutum est, et eo tempore coffeae pretium a Societate Bataviae ad 8 Spaansche Matten aestimatum est. Administratio Anglica pretium quidem auxit sed istud discrimen propter tempora opportuna non eluxit: serioribus temporibus istud discrimen melius manifestum fuit, quia, quod vi sive coactione ad 6 imp. exhibendum erat, venditum est ad 20, 30 usque ad 36 Spaansche Matten.

(1) VAN ALPHEN, l. c. 236. 238. 165. (2) VAN ALPHEN, l. c. 163.

qua gaudet auctoritate quoque in imperium invehi non desinat: deinde, in possessione territoriali, qualem Javam insulam esse, supra vidimus, inconsultum foret, hanc possessionem dividere, et quasi imperium in imperio constituere; nam revera imperio adsimilis est talis extensa agri possessio; et rationes politicae suadent, ut supremum dominium indivisum maneat penes eum, qui omnium saluti prospicit. Agrorum dominium, si indistincte immoderateque admittatur, incolarum libertatem violat, quae sancta esse debet, neque iis leviter adimenda; nam et jus habent in illas terras, et terras excolentes domini fiunt et regulariter tributa aerario solvunt. Constat insuper, pretium, quo agrorum dominium emtum est, uno quamvis anno saepius ex agrorum proventibus iterum perceptum esse: hi agri in tributis directis summam vix nomimandam praebent et ad administrationis sustentationem ne 20 partem eorum conferunt, quae praeberent si ab administratione alienati non essent.

Injustum sane est illis, qui agrorum dominium *titulo oneroso* acquisiverunt, adimere, nam in eo posita est vera prosperitas, ut unicuique certi sint non tantum laboris fructus, verum et ut dominium nullis impediatur difficultatibus et molestiis.

Et sane aeque immoderatum est, istiusmodi agros cum insigni incolarum numero vendere, ac absurdum foret terras omnino non cedere: quod revera agriculturae impedimentum dici posset (1). Verum et hic medium aliquod conceditur, et alia eaque ut opinor melior via ingredi potest, ut eorum desiderio satisfiat, qui agrorum cessionem non omnino prohibendam esse, clament. Etenim Societas Batava jam olim ut vidimus agrorum venditionem certis limitibus coerctaverat et tantummodo in extensa illa regione, quae sub Bataviae provinciis circumjacentibus (*Bataviasche Ommelanden*) insignitur, a principio recessit, et per partes agros privatis vendidit. Si quis sorte in agricultura hodie uti velit, satis

(1) Memorabilis est quod de hac re conscripsit C. S. W. DE HOGENDORP, l. c. 187. «A Java les Européens ne pourraient en tout se vouer a l'agriculture que de deux «manières: *en détail ou en grand.* Le premier cas est celui, ou le planteur laboure, «sème et recolte son champ lui-même, aidé tout au plus de quelques valets de ferme «et journaliers: le second est celui, ou le planteur devient propriètaire foncier, «c'est-a-dire la partie de récolte qu'elle était accoutumée à payer au Gouvernement «devenu propriétaire du sol depuis la cession qui en fut faire par les Princes natifs. «Souvent ce planteur se contente de ces revenus et laisse en friche les terres encore «incultes dans son domaine; ou bien s'il désire augmenter ses ressources, ils les «fait cultiver, s'il en a les moyens, soit en faisant des arrangemens plus ou moins «avantageux avec les habitans de sa terre, ou en employant des laboureurs à la «journée. La culture en petit, c'est-a-dire, quand le planteur travaille lui-même «a la terre, n'est guère practicable pour des Européens, sous la Zone torride.» (quod satis probavit tentamen a Gubernatore VAN IMHOFF antea institutum). NEDERBURGH, l. c. 97. L. DE GRAND PRÉ, *Voyage dans l'Inde et au Bengale.* (Paris 1801).

agrorum pro varia pecuniae summa sibi comparare potest, qui in praefectura *Buitenzorg*, exceptis culturae generibus peregrinis, tantum ex oryzae proventibus 12 ad 16 pCt. lucrum sortis impensae praebere, aestimantur (1). Praeterea magna est terrarum adhuc incultarum copia in Java, quae Europaeis sortibus elaborari posset, nam RAFFLES jam animadvertit tantum $^1/_8$ soli partem excultam esse.

Hodierna administratio agriculturam et commercium tuetur, et agrorum venditionem incitat et promovet, unicuique liberam laboris sui dispositionem concedit, et privatorum commoda cum omnium salute conjungere studet. Quo major sit necessitudo Europaeos inter et indigenas, eo major fiet industria, eo plura erunt emolumenta. Sed quam raro Europaei has oras Indicas tamquam patrimonium respiciunt, quod descendentibus relinquere desiderant: insignes divitiae brevi comparatae plerumque omne eorum desiderium absolvit, qui in in Indiam expeditionem suscipiunt, ut inde reversi intra patriae limites vitam amoenam et quietam gerere possint, et

.... nec veteris pocula Massici
Nec partem solido demere de die
Spernunt, nunc viridi membra sub arbuto
Strati, nunc ad aquae lene caput sacrae.

Multorum, qui in India dominium sibi comparant, consilium eo tendit ut v. c. ex oryza, coffea, aliisque proventibus tantum emolumenta capiant, quorum cultura incolis propria est, et ad quam Europaeorum industria non egent. Europaeae sortes in agricultura revera magna praebent praesidia; Europaeorum administratio in indigenas salutarem exercet efficaciam, verum cum his omnibus conjuncta esse debet consuetudinum, legum juriumque incolarum veneratio et notitia. De *colonisatione*, quae ut multos tulit defensores, sic multos vituperatores habuit, haec dixisse sufficiant, eam esse transmissionem et transportationem incolarum ex uno loco in alium et hoc sensu nihil aliud nisi pressionem et amotionem indigenarum, quae tamen saepius exspectationi non satisfacit (2).

---

(1) C. S. W. DE HOGENDORP, *Coup d'oeil* etc. 190.

(2) Hujus argumenti ambitus prohibet, quominus hunc locum ulterius indagare possum. Sufficiant igitur, verba Ampl. VAN ALPHEN, quocum idem sentio. «De eigenlijk gezegde colonisatie is de overbrenging en verplanting der bewoners van het eene land naar het andere, van Europeanen onder Indianen, en in dien zin is het geene overplanting, maar *verdringing:* want overal waar zulke overplantingen geschieden, verwijdert zich de Indiaansche bevolking. De ondervinding leert dit overal: in alle

Quamvis fortasse verum sit, utilem esse nonnullorum Europaeorum advectionem in Indiam, ut ibi incolis subsidia diversa communicent quae in agriculturae et industriae momentum adhibentur, nonnullorum tamen millium Europaeorum transportatio in Javam ut ibi laborent eaque praestent, quae alioquin ab indigenis requiruntur, si non omnino inconsulta, saltem infructuosa merito judicatur. Et si qui sint, qui aliquomodo huic colonisationi favere vellent, iis potius aliae possessiones Batavae in Archipelago Indico concedendae sunt (1).

Haec universe sufficiant de quaestione, quatenus expediat in Java agros et terras vendere vel cedere. Haec quaestio fusius indaganda est: verum quatenus equidem hunc locum indagavi haec quaestio mihi majoribus subjecta esse videtur difficultatibus, propter diversa administrationis principia, quae in Java viguerunt et adhuc vigent, verum eam apte dirimi posse, si proponatur in regione vel colonia, quae uniformi regitur lege, quaeque istas non habet exceptiones, quas in Java admitti videmus, quoad humanitatem, historiam et incolarum indolem.

Haec de principiis generalioribus quoad hanc quaestionem sufficiant: hoc loco factum interponere liceat, quod ut nobis saltem videtur, iis, de quibus modo disputavimus nihil derogat.

Ab omni tempore fuerunt qui jure contenderent jus, quod unicuique in rem sive objectum aliquod competit, ei indivisum relinquendum esse, nisi speciali sive justa de causa ei illud adimendum sit, quo in loco amissionis compensatio eatenus concedenda, quatenus juri, et aequitati conveniat. Jus suum cuique tribue, principium illud aequitatis et justitiae aeternum ubique et unicuique accommodari debet, et hujus juris violatio cujuscunque sit et a qua parte fiat, non tantum impedienda verum et punienda est.

A multis ante nonnullos annos jam proposita est quaestio, quomodo se habuerit venditio agri cujusdam extensi SOECABOEMI vocati et in Java in Preanger-praefecturis siti. Ea quae ego nunc de hac lite proponam veritati congruunt, et e genuinis fontibus hausi, quos mihi suppeditavit Viri Nobil. A. DE WILDE benevolentia.

Jus quod possessores sive domini in agrum SOECABOEMI habent, nititur legum vel decretorum dispositionibus de emtione venditione. Est jus perfectum, lege constitutum, emtione acquisitum.

Quamprimum administratio Anglica publica auctione mense Januario anni 1813 Viris Nobil. RAFFLES, MACQUOID, ENGELHARD agrum SOECABOEMI in Preanger-praefecturis situm, emtoribus vendidisset, dominium hujus agri ad emtores transtulit, et postea ante Anglorum e Java insula discessum partes RAFFLESII et postea MACQUOIDII ad Ampl. ENGELHARD et A. DE WILDE pervenerunt, qui postremus huc usque horum agrorum administrationem habuerat. Hic contractus bona fide justaque de causa initus, non tantum servandus erat sed et contra omnem violationem vindicandus.

---

landen door Europa overheerscht, hebben de overwinnaars nooit de twee menschenrassen kunnen ineensmelten. — Het gemengde menschenras, geboren sedert de 150 jaren dat wij met de inboorlingen het eiland Java bezeten hebben, is nog zeer weinig talrijk, en men heeft aldaar opgemerkt, dat er zeer weinige voorbeelden zijn, dat hetzelve verder, dan 2 of 3 geslachten voortplant. » p. 165. coll. 163 et 164.

(1) Cf. Nobil. C. S. W. DE HOGENDORP, l. c. 191.

Venditio tamen sub seqq. facta est dispositionibus, nimirum secundum art. 3. *agri ab omnibus officiis dominis praestandis* (Heerendiensten) *et a coactis imperio exhibitionibus ad pretia imparia* (onevenredige prijzen) liberi forent. Illudque additum ut *in harum exhibitionum locum annalis contributio* ½ *pCt. primitivi valoris emtionis imperio sive administrationi praestaretur.*

Nulla, neque emtio, neque transactio obtinet, nisi sub dispositione generali, eam, sive objectum qualecumque, subjectum manere generalibus regni sive administrationis legibus.

Specialis ista liberatio ab omni exhibitione coacta *ad pretia imparia*, tantum ad proventum praecipuum *coffeam*, pertinebat, quum, ut jam supra vidimus in ipsa dissertatione, reliquorum proventuum v. c. piperis, isatis Indici et gossypiorum exhibitiones coactas jam abolevisset Guber. Gen. DAENDELS. Coffea iis temporibus nullius valoris erat, nam pretium forense 3 piastrorum summam non excedebat et coffeam praefecti Javanenses qer picol 125 pondo ad unam imperialem praebebant.

Sed brevi coffea majorem valorem accipit, et emolumenta, quae agrorum domini post longam annorum seriem exspectaverant, jam carpuntur.

Administratio temporibus in suum commodum uti fruique adnitens, ad pravam eamque sordidam transactionis interpretationem, transiit.

Quum nempe art. contractus 4, dominii jus ad emtores transferat, eosque ab omni exhibitione coacta ad pretia imparia liberet, hac dispositione administratio juri suo in exhibitiones coactas ad pretia imparia renunciavit: attamen contra strictam et sanctam conventionis rationem, contra contractus verba et verum artic. sensum administratio Anglica sibi incrementum in coffeae pretio assumendo, jus dominorum acquisitum perfectum violavit. Gubern. RAFFLES hoc perfugium ideo quaesivisse, ut administrationi Bengalensi, cui eo tempore Java insula subjecta erat, rationes redderet venditionum agrorum, ob quas accusatus fuerat, non est quod dubitemus nec miremur: pretii augmentum ad 6 imp. argent. per picol, eo quidem tempore quo pretium forense 6 ad 7 piastr. erat, quam arbitrarium fuerit, tamen *impar* dici nequit. Post instauratam a. 1814 dominationem Batavam in India Orientali, plenum administratio jus habebat, contractus ab administratione praecedenti Anglica initos ratos habendi aut dissolvendi et nullos declarandi. Plenum ipsi jus competebat agrorum venditiones non agnoscendi.

Tacite tamen administratio hanc venditionem agnovit, et ita SOECABOEMI etiam sub novo hoc regimine eodem jure ad eosdem ad quos antea possessores pertinebat.

Sub administratione Batava coffea ad 20. 30. ad 36 imper. picol vendita est, et huic pretio impar erat exhibitio coacta 125 pondo ad summam 6 imper. Haec irregularitas primo aequitati repugnabat; etenim alii agrorum domini ei subjecti non erant, quum agri recenseri possint et nominari, in quibus coffea ad pretium maximum 30 Spaansche matten et ultra vendita est, SOECABOEMI possessores vero tantum 6 imper. accipiebant. 2°. haec irregularitas contractus sententiae et verbis adversatur, in quo praeterea quae supra ex art. 3. 4. adtulimus, adhuc in art. 7. adjicitur, *domino liberum esse coffeam* excolere vel non.

DE WILDE vile hoc pretium quod accipiebat, labori et impensis consentaneum non esse, judicans, illudque nullum industriae incitamentum neque laborum remunerationem praebere existimans, nonnullas emendationes constituendas duxit, si saltem exhibitiones coffeae coactas in posterum praestare vellet, et ex iis nulla damna pati.

Vir Illustr. Gubern. supr. VAN DER CAPELLEN ante duorum Delegatorum ELOUT et BUYSKES ex India in Europam discessum, SOECABOEMI dominis declaravit, pretii augmentum in coffeae exhibitionibus, tam magni momenti esse rem, ut de ea in Java disponi non posset, verum in ea necessariam fore opinionem et approbationem Summi Imperantis.

Quo consilio A. DE WILDE iter in patriam suscepit, et summo imperanti multis speciminibus exposuit revera aequam esse ejus postulationem, quod ad pretii augmentum in coffeae exhibitionibus, sine quo non tantum ex operibus et labore in eum damna redundarent magna, verum eo tandem perveniretur, ut aliquandoa dministrationem horum agrorum per multos annos felici exitu coronatam, deserere cogeretur.

Quod in his haud bona fide, justitia et aequitate egerit, et Summum Imperantem

blanditiis et fraudulosa ratione in suam favorem traxerit, eorum opinio est qui magis malevolentiae studio quam quidem veritatis ducuntur. Quomodo enim Regem decipere potuisset: et quidem talem, ac nostrum esse omnes profitentur, cujus animus non in audiendis tantum verum et in investigandis accurateque perspiciendis rebus, quas eum subditi rogant, versatur: praeterea non is verus modus est consilii exsequendi, et ista opinio tam adversatur perspectae fidei, integritati et virtuti Viri Nobil. A. DE WILDE ut horum opinionem refutando, aliquod eorum sententiae momentum adtribuere videremur.

DE WILDE tandem decreto regio 11 Julii 1821. n°. 61. pretii augmentum ad 10 piastrorum per picol 140 pondo acquisivit pro annis 1821, 1822, 1823, et universum pretii augmentum a Gubernatore et consiliariis Indicis definiendum erat, audita prius opinione eorum quorum intererat et perspecto coffeae pretio forensi.

Hae dispositiones revera congruunt benevolentiae et sagacitati regiae, quae semper in communem salutem et prosperitatem subsidia adhibet.

DE WILDE cum hoc decreto Indiam versus iter suscipit et ibi statim post adventum Gubernatorem adit eique decretum Regium proponit. Is hac dispositione non contentus, declarat se in summo Indico concilio jam constituisse regio decreto non obtemperandum esse.

Quo jure, qua potestate, et quo tandem consilio Gubernator ita constituerit, difficile dictu est: utrum istud arbitrium perversae cuidam ambitioni an vero suspicioni tribuendum sit, alii declarabunt. Quidquid a Regis persona proficiscitur, illud et sanctum et inviolabile est, neque a persona qui regis personam, tantum repraesentat infirmari potest. Indemnitatis praestatio ad 10 piastr. usque, erat summae auctoritatis factum: erat transactio quaedam quae omnem juris diminutionem impediebat: erat dispositio quae quum ad administrationis Indici decisionem non pertinebat, a summo imperante erat probanda: qua dispositione acquisita, illi qui ante perhibuerunt hanc rem ad sua munera non pertinere, contra summi imperantis decretum suffragia ferunt, et antequam dispositionem regiam inspexerant, jam inter se convenerant, eam haud exsequi.

Ab eo inde tempore A. DE WILDE qui perpetuo hujus agri administrationem curarat, multis implicitus est difficultatibus et molestiis. Dum abesset, nova eaque incognita quaedam agendi ratio instituta fuit, quae post ejus reditum pergebat: sic v. c. dispositione quadam molestissima, tenebatur coffeam in alium locum quam antea, majoribusque cum damnis et difficultatibus deportare: populus cui praeerat et quorum numerus ultra 20,000 homines continebat tuti itineris litteras (paspoorten) sibi parare debebat, quando in aliud territorium transgredi sive venire vellet: verbo: post ejus reditum ex Europa omnia in ejus detrimentum mutata sunt.

Quum igitur SOECABOEMI possessores viderent, se certamen cum administratione impar de hac lite inituros, et perseveratione rogationis majora damna et inextricabiles difficultates sibi paraturos esse, unum hoc restabat agrum administrationi vendere.

Dominorum propositio administrationi facta, qua sibi liberam per quadriennium coffeae dispositionem stipulabantur, quo praeterlapso, totum agrum SOECABOEMI *gratuito cederent,* dicto quodam Gubernatoris nitebatur, *coffeam* in SOECABOEMI excultam ab administratione haud desiderari: secundum hanc propositionem satori Javanensi tantum solverent, quantum huc usque pro coffea accipere solebat, ita ut discrimen emtionis (inkoop) et venditionis ad dominos sive proprietarios pertineret.

Haec propositio tamen a Delegatis Viris Nobilissimis, praefecto militari DE KOCK et consiliario MUNTINGH in hunc finem creatis abjudicata est, litteris 13 Nov. 1822. altera propositio a proprietariis facta, qua summam 747780 sp. m. rogabant eundem habuit exitum, ut et eorum rogatio 500,000 sp. m. ad quam tamen administratio respondit, se summam *f* 800,000 impendere velle si proprietarii SOECABOEMI ei cedere vellent, et hanc summam acceperunt proprietarii.

Postea administratio requisivit ut proprietarii quoque renunciarent juri, quod secundum decretum regium 11 Julii 1821 sibi competere existimarunt, quod ad pretii exaltationem pro coffea, quam annis 1821, 1822, 1823 jam praebuerant vel adhuc praebituri erant. Quod hanc requisitionem proprietarii quoque subsignarunt ideo

mirandum, quia sic quoque juri renunciarunt, quod secundum decretum regium iis competebat: et illud imprimis pertinet ad annos 1821 et 1822, quia horum annorum proventus administratio Indica acceperat, et hac cessione damnum *f* 205761.14 passi sunt. Hoc jus proprietarii secundum art. 2. decreti regii adhuc sibi competere merito existimarunt, quia antequam transactio locum habuerat, coffeam pro istis annis jam praebuerant: praeterea emtionis et venditionis contractum quidem subsignarunt verum cum spe, ut ea quae iis ademerat potestas quaedam subjecta, restituerentur a summa potestate, unde illud jus in eos redundarat.

Atque ita revera totum hoc factum comparatum est. Si reputemus molestias quas propter odium et invidiam Gubernatoris ad se converterat et hoc tantum ob favorem et beneficium quod a summo imperante acquisiverat, detrimenta, quae dum absens esset, ager SOCCABOEMI passus est, dispositiones difficiles et graves in suam detrimentum tantum factas, et vicissitudines quibus praeterea ad agri cessionem coactus est, haec omnia si enuclete indagemus, revera satis probabunt hanc cessionem quidem emtione venditione factam esse, verum non animo et e sententia proprietariorum.

Mirum revera videri debet, administrationem Indicam, quae caeteroquin eo tempore liberali et humana agendi ratione Europaeorum et indigenarum amorem sibi conciliare studuit, in his contra omne justitiae et aequitatis principium et regiam dignitatem egisse.

Sive illud tribuas consilio uniformis cujusdam administrationis instituendae, (quam levis haec ratio caeteroquin sit, quia ista uniformitas privatorum jura infirmare non deberet,) sive tandem aliis causis, administratio in his ea justitia non egit, qua uti par fuerat, verum et suam potestatem egressa est, quia regium decretum exsequi noluit. Quae quum ita sese haberent, summus imperans postea rogantibus proprietariis merito eos indemnes praestare noluit, quia si se proprietarii ad decretum regium tenuissent (quod fortasse ea omnia impedierunt, quae supra adnotavimus) rex in decreto perseverasset: decreto vero et ab administratione et a proprietariis haud observato, et transactione in hunc locum facta nihil eos habere quod amplius rogarent.

Serioribus temporibus (a. 1827 et seq.) proprietarii, regem supplicarunt eumque ut eos iterum in SOECABOEMI possessione vindicaret enixe rogarunt ea conditione, ut summam *f* 800,000 pro venditione acceptam restituerent et quidem se submitterent toti exhibitioni coffeae ad pretium, pretii forensis vicissitudinibus consentaneum. Verum his numquam ita respondit imperium, ut hodie aliqua supersit spes, fore ut proprietarii iterum in possessionem redeant agri, quem propria industria, prudentia et opibus ad tale prosperitatis culmen evexerunt ut, nullum fortasse exemplum afferri possit possessionis privatae in Java insula, in qua major industria, melior oeconomia, verbo, praeclarior administratio elucet.

Atque hic huic enarrationi finem imponere liceat: quam ideo proposuimus, quia injustum omnibusque aequitatis principiis oppositum existimabamus eos, qui titulo oneroso, et jure perfecto agrum quemdam emerunt, hoc jure orbare: molesta ista mutabilitas in dominii systemate, industriae et securitatis publicae damnum est irreparabile: multi imprimis eo tempore illud senserunt. Modus quo hi proprietarii hoc suo jure orbati sint, sordida est et infra dignitatem administrationis Indicae.

Si qui sint, qui pluribus hoc factum indagare volunt, adeant Tom. II. operis CRAWFURDTII *de Indische Archipel* in praemonitis a pag. XXXV—XXXXVII. SCHETSEN *aangaande de* LANDELIJKE ADMINISTRATIE VAN JAVA etc. door P. DE HAAN, PSZ. (Leijden 1829) p. 128—192. C. S. W. DE HOGENDORP, l. l. 281—287.

§ 3.

De Juris administratione apud indigenas in Java insula.

Primaria industriae causa haud immerito ponenda est in defensione jurium incolarum et securitatis civitatis. A juris enim administratione et singulorum libertas pendet et opinio quam de propria sua securitate habent. Ubicunque apta viget juris administratio ibi et insignis fons est communis prosperitatis. Hanc juris administrationem diversam esse pro diversis in quibus viget, regionibus, manifestum est: adeoque primum requiritur recta notitia indolis, jurium, consuetudinum morumque istius populi, in quem juris administrationem conferre volumus.

In Java insula indigenae propria sua utuntur juris et Policiae administratione et specialem habent procedendi methodum, de quibus pauca hoc § memorare nobis proposuimus. Totam juris administrationem in Java insula primum indagare volebamus: verum quum id longum foret, potius ea instituta persequemur quae ad juris administrationem pertinent apud indigenas.

Societas Batava, omnem internarum rerum administrationem conservaverat et intermedia ista auctoritate Praefectorum *Demangs* gubernabat. Dispositiones peculiares insuper quidem a Gubernatoribus vel rerum Moderatoribus constitutae sunt, ut et decreta lata, quae in littera *Artikelbrief* dicta memorantur: lex Batava quoque colonialis legis vim habuit in quantum aliis decretis ei derogatum non erat. Collectio legum colonialium *Placaet-Boek* vocabatur, et earum excerpta *Statuten van Batavia* auspicio et auctoritate administrationis confecta sunt. Hodie codex quem Batavi introduxerunt, diversus est ab eo, qui adhuc in Metropoli viget, et quando legislatio cum in Java insula tum in Metropoli una eademque fieri possit, tempus declarabit.

Universe leges scriptae hujus insulae, continentur Muhamedis libro *Koran* dicto, secundum quem justitia exercetur, tribunalia ordinantur, permulta tamen consuetudinibus et moribus accuratius circumscribuntur. Lex Muhamedana quae apud plerasque stirpes earum gentium viget, quae hanc religionem assumserunt, nondum antiqua et inveterata praejudicia sustulit, quae hodieque adhuc Javanorum animis infixa sunt. Jus criminale et ecclesiasticum imprimis secundum legem Muhamedanam dicitur. Haec lex in Java ubique viget: in ea religio et jus arctissimo vinculo conjunguntur: aliquando mores legem amplificant: sed lex Muhamedana, regionis lex est.

Juris administrationem apud indigenas imprimis componit

Provinciae-concilium sive ut apud nos vocantur *Land-raad:* quod e praeside et 4 assessoribus constat, qui a Praefecto (*regent*) et nobilibus indigenis eliguntur. Actuarius graphiarii munere fungitur, fiscus Javanus, accusatoris publici et sacerdos quidam primarius Muhamedanus in ea Provincia, sententiam fert (1). Tribunal semel per hebdomadem sessionem tenet in loco Provinciae primario. Hoc concilium ab a. demum 1824 quoque in Bataviae, Samarangae et Sourabayae urbibus institutum fuit, exceptis praefecturis ubi jam per longam annorum seriem vigebat (2). Bataviae hoc concilum majora curat negotia, ita ut quoque e duobus assessoribus Europaeis et indigenis constet.

Methodus procedendi nullis implicata est formulis majoribus, neque Procuratorum sive Advocatorum auxilium invocat.

Accusator vel rogator praefecto, scriptis vernacula lingua compositis, rogationem cum conclusione, proponit. Apographum ejus ad reum in jure citatum mittitur ad quod intra quatuordecim dies responsum dari debet. Hoc tempore praeterlapso, vel responsione accepta, res ad Provinciae-concilium defertur et partes cum testibus citantur. Si accusator statuto tempore non venit, res sive actio pro non facta habetur et e causarum serie deletur. Verum si partes adsunt, rogatio et responsio ut et omnia testimonia e quibus judicari possunt, praeleguntur, testes audiuntur, praestito prius jurejurando secundum suum cujusque ritum. Iis, quorum interest, quoque facultas conceditur causae defendendae et si res accurate investigata est, consilii praeses, fiscum et sacerdotem rogat ut sententiam ferant, tum assessorum opinionem audit et secundum majorem suffragiorum numerum, decernit. Actuarius actorum accuratam descriptionem conficit; quam in casu renunciationis, intra tempus statutum, ad curiam superiorem mittit, cum decisionis et deliberationis autographo, omniumque quae rei notitiae inserviunt (3). Appellatio ab hoc tribunali conceditur quando res litigiosa summam *f* 500 excedit.

Justitiae consiliarii, qui in Java potissimum juris criminalis

---

(1) Cf. *Reglement op de administratie der Policie en crimineele en civiele regtsvordering onder den inlander in Nederl. Indie,* behoort bij besluit van 10 Jan. 1819. n°. 6. *Staatsbl. v. Nedel. Indie,* n°. 20. art. 94—98. Sacerdos iste *Panghoeloe* vocatur, et imprimis legis Muhamedanae doctrinam sibi comparare debet, et major est quam fiscus Javanus, qui sollicitudines et minuta curat et *Jaksa* vocatur. Ea gaudet peritia, ut morum et consuetudinum notitiam sibi comparare debeat, quae a lege Muhamedana recedunt. Cf. JOHN CRAWFURD, l. c. Vol. III. 54. qui pluribus leges Indicas indagavit a p. 48—108. ejusdem Vol.

(2) Vid. *Publicatie* van 27 Jan. 1824. (*Staatsbl. v. Ned. Indie.* n°. 4).

(3) TH. ST. RAFFLES, l. c. Vol. I. p. 279. 282. JOHN CRAWFURD, l. c. Vol. III. 56. 57. et *Reglement op de administratie der Policie* etc. ab art. 100—115.

curam habent, quoque munere judicis circumeuntis (*ommegaand regter*) funguntur: unusquisque horum, semel per mensem in unamquamque praefecturam venit, ibique tribunalis praesidium suscipit quod e quatuor primariis indigenis constat, qui quotannis ab administratione eliguntur, et a praefectis proponuntur. Haec tribunalia cognoscunt de rebus, quae extra facultatem provinciae-consiliorum sunt, sc. de mordro, homicidio, perfidia, seditione, falsa moneta et in genere de delictis, quae contra rem publicam et privatos perpetrantur, iisque quae lege mortis poena plectuntur: insuper de vexationibus a praefectis indigenis commissis, de auctoritatis usurpatione, et contra publicam rem oppositione (1).

Aliud quoque est tribunal minoris generis, quod revera judicibus pacificatoribus constat in unaquaque communione (*gemeente* of *arrondissement*): quae tribunalia disceptationes inter incolas istius regionis exortas dirimunt, contentiones v. c. de canalium irrigatione, de limitibus agrorum vicinarum, et quaestiones sive lites ad agrorum culturam pertinentes componunt. Pars inferior multa punitur, maxima 3 florenorum in laesi favorem: verum include revel alia poena corporali adire nequit.

Chinenses aliique indigenae submittuntur provinciae-concilio. In regionibus Bataviae vicinis Chinenses, in rebus civilibus eisdem legibus ac Europaei subjecti sunt. Bantami antea jurisdictio criminalis in indigenas Sultano competebat et Bataviae eam in Chinenses excercebat praefectus (2).

Ad rectam tamen legum notitiam, quae in Java vigent, doctrina linguae *Arabicae* et vernaculae imprimis necessaria est. Insuper magna requiritur prudentia, ut juste apteque illae lites dirimi possint, quae saepius e rebus levissimis oriuntur.

Regionis lex difficile mutari, amplificari quidem et emendari potest. Quae ut recte fiant a principio incipiendum est. Imprimis eorum qui talibus praesunt tribunalibus, doctrina perspecta esse debet et cognita, ne Europaea apud indigenas vilescat auctoritas: quum hodieque systema redituum territorialium, locationum, introductum sit et major ordo in agrorum divisione locum habeat

---

(1) In decreto laudato de Policiae et rerum criminalium et civilium administratione apud indigenas articulo 99 a facultate Provinciae-consilii excluduntur 1°. moord, manslag, verraad, oproer, valsche munterij en alle daartoe betrekkelijke en als zoodanig strafbaar gestelde misdrijven, roof met geweld, brandstichting en van andere welke met den dood zouden kunnen gestraft worden. 2°. Knevelarijen en misbruik van gezag door inlandsche ambtenaren gepleegd. 3°. Aanmatiging van gezag door personen welke met geene ambten bekleed zijn. 4°. Verzetting tegen het openbaar gezag, en plegen van dadelijkheden tegen hetzelve. Cf. artic. 138—154.

(2) TH. ST. RAFFLES, Vol. I. p. 281.

unde forte majores oriuntur lites, et necessitudo Europaeorum major fiat cum indigenis, necessarium est, ut ea jura quoque rite observemus, quae libere iis concessimus. Quando autem futurum sit, ut generalis quidam legum codex per totam insulam utiliter introduci possit, tempus docebit, verum in rebus jura et securitatem personarum spectantibus, imprimis in hujusmodi populo, ratio haberi debet et religionis et consuetudinis, quibus rite perspectis, tum demum humanioris sive melioris cujusdam legislationis fundamenta poni poterunt (1).

§ 4.

De interitus causis Societatis Batavae, de fatis, quae paullatim subiit commercium Indicum, deque hodierna ejus conditione.

Supra, generalia quaedam memoravimus, quae ad formam pertinebant, qua imprimis a Societate Batava commercium Indicum actum est. Gravis quinquaginta abhinc et quod excurrit annis quaestio exorta est de causis interitus Societatis Batavae. Diversas opiniones recensere, meum non est. Dicam, cui potissimum rationi hic mihi interitus tribuendus esse videatur, relictis iis quae alii sive recte sive prave de eo disputaverunt.

Per 150 annos Societas Batava Indica commercii foedera cum diversis Principibus contraxerat, gravissima bella, cum contra Europaeas gentes, tum contra Indicas gesserat, insignem militum copiam, officialium numerum, navium classem, possessionum Indicarum administrationem sustinuerat, ex ea in Metropolin milliones multas miserat et in India tam insignem dominationem constituerat, ut auctoritas, qua tunc Provinciae Batavae gaudebant a gentibus Europaeis aestimaretur ex potentia, quam hae Provinciae e regionibus transmarinis derivarent. Verum ut in omnibus sic et in Societate vicissitudines rerum humanarum modum huic prosperitati posuerunt. Non dico, systema Societatis in omnibus ita comparatum fuisse, ut nulla parte interitus ipsi quoque tribuendus esset, verum hujus interitus *proximam causam* in calamitoso *bello Anglo-Americano* pono, inque iis, quae illud sunt insecuta. Et statim quidem apparet, praecedentem Societatis conditionem nonnullis laborasse vitiis sibi propriis: verum ex disceptationibus publicis eo tempore de statu Societatis universe habitis patet, eam ab a. 1760 ad 1780 et ita intra 24 annorum

---

(1) Ampl. v. ALPHEN, l. c. 166. 234—244.

spatium 81 centenis millibus florenorem auctam fuisse. Mirum videri nequit in magnis continuisque calamitatibus, earum causas a multitudine, quae saepius leviter judicat, ibi quaeri, ubi non adsunt. Idem valet de judicio, quod multi de depravato rerum pecuniariarum statu hujus instituti dixerunt: quae res pecuniariae postremis temporibus Metropolin oppresserunt, ita ut inde Societatis interitum vitiosae administrationi tribuendum multi existiment. Verum eodem jure praecedens pecuniarum affluentia ante bellum Anglo-Americanum, argumentum praeberet laudandae hujus administrationis. Palam est, si hoc bellum non intercessisset, omnia non tantum debita Societatis aequata fuisse, verum insuper magnum remansurum fuisse lucrum, quod conficere possumus e computatione Amstelodami die 31 Maji et Bataviae d. 31 Aug. 1780 confecta, ita ut aequatis debitis et impensis adhuc fl. 51,4000,000 sors remansisset, ne computatis quidem aedificiis mercatoriis aliisque, quae coloniarum usui inserviunt (1).

Ordinibus Generalibus opem a Magna Brittannia, die 22 Julii anni 1779 a Provinciis Unitis ex foederibus annorum 1678 et 1716 petitam, praestare recusantibus, magnae Brittanniae Rex declaratione 17 Aprilis 1780 pactorum cum republica initorum vim suspendit, atque declaravit se eam inter gentes neutrales nullo pacto cum Anglia sociatas habituram. Rex navarchos jussit Provinciarum unitarum naves retinere, quae res hostium continerent aut tales quae merces vetitas deveherent. Die 20 Dec. ejusdem anni bellum indictum est quod ideo omne commercium cum India suspendit.

Quamvis autem sine studio et opera administrationis Indicae hoc bellum eruperit, celeriter tamen ejus damna percipiebat, quum Angli ubique classes instruxissent, quibus mandatum erat, insulas praecipuas occupare et regiones ubi Batavi sedem fixerant in India adire. Promontorium Bonae Spei Franci jam SUFFRENO auctore occupaverunt.

Pace quidem Parisiensi anni 1783 coloniae restitutae sunt, *Negapatnamo* excepta, sed praeda ablata et naves multae captae

(1) Cf. opusc. AANMERKINGEN *op het antwoord van den Heer* D. VAN HOGENDORP, *op het onderzoek der gronden van zijn stelsel.* p. 81. (Amsterd. 1802). In opusc. *rapport wegens de zaken van de O. I. Comp.* I. 3. refertur a. 1735 superfuisse deductis expensis fl. 2,160,736, ab eo tempore ad annum 1761 deteriori conditione esse coepisse societatis aerarium ad fl. 21,543,644, quae summa debitorum a. 1779 ad fl. 8,506,567 diminuta fuisset, et a. seq. summam superesse quam supra memoravimus ex libro cit. patet. Tolerabili aere alieno igitur laborabat Societas, quodque si oeconomia Indica ex consiliis Gubernatorum IMHOFF, MOSSEL, aliorumque in melius mutata fuisset, paullatim non tantum dissolvi potuerat, sed et magna reddere emolumenta. A. 1794 debitum Societatis aestimatum fuit ad fl. 112,265,447,7,8.

unde nonnullarum millionum detrimentum exstitit, effecerunt ut in rerum pecuniariarum statu Societatis insignia orirentur damna (1). Naves captae et fractae detrimentum insigne adtulerant fl. 11300,000, quibus accedit navium illarum morasustentatio quae ob belli timorem ad *Gades* et *Drontheim* adpulerant et quarum impensae ultra fl. 500.000 aestimabantur. Praeterea res necessarias Societas e portu peregrino in Indiam mittere debebat, quod non nisi magnis fieri poterat impensis. Navium revertentium (quarum e lucro consuetis temporibus impensae resarciri solebant, quaeque ab aestate anni 1780 tribus exceptis non advenerant) defectus haud parum curae et difficultatis administrationi adtulit. Societatis prosperitas, quae per omne fere saeculum XVII omnem spem superaverat, imprimis quoque aliarum nationum aemulatione diminuta fuit; nec mirum quum nostri opibus ac divitiis augerentur, alios earumdem fortunarum aemulos eosdem fontes explorasse, quodque primo veluti proprium erat nostrorum hominum bonum in hujus partem quoque caeteros Europae populos venisse. Pax praesidium erat Societatis, et quam primum bellum aliquod interveniret, statim magna in administratione existebat confusio. Hoc omnimodo probare videtur bellum Anglo-Americanum. Ab eo tempore possessiones circa *Indiae Occidentem* sitae non tantum multa adtulerunt damna, verum et paullatim a dominatione Societatis defecerunt, ita ut omnia emolumenta sic perirent. Continuae calamitates ab a. 1781—1793 effecerunt ut debitum Societatis ad summam 107 millionum cresceret intra 12 annorum spatium, quod partim in minori accepto partim in majoribus impensis positum est. Ex his satis patebit metum haud vanum fuisse eorum, qui exitiale fore Societati bellum cum Britannis a. 1781 susceptum, praeviderunt. Hae vicissitudines Societatem debilitarunt, cujus vires minimo impulsu deficiebant et cujus administratio ob late patentem ambitum non ubique eodem modo allata detrimenta satis cavere poterat.

Neque umquam defuerunt, qui ut vitia Societatis animadvertebant, ad ea oculos intenderent, quae securitatem ejus et commodum promoverent. Historia enim satis probavit, omni tempore viros exstitisse qui et doctrina et civili prudentia insignes, consiliis suis scriptisque rerum statum emendare conati sunt (2). Hunc

(1) Quae hoc bellum calamitosum secuta sunt exhibet. *Bericht van de Vergadering van XVII bij de volksrepresentanten van Zeeland, gerequireerd op het Decreet van Holland van den* 15 *Septemb.* 1795. *nopens de vernietiging van het tegenwoordig bewind der O. I. Comp.* p. 6382 seqq. (*Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, Octob. 1795).

(2) Sic v. c. a. 1743. Ampl. VAN IMHOFF suam de possessionibus Indicis sententiam proposuit: a. 1753. MOSSEL librum edidit, *Bedenkingen over den intrinsiquen staat van de Comp.* et subsecuta est: *Memorie van Menagie* de omnibus

in finem quoque statim post belli Anglo-Americani exitum, a Societatis moderatoribus deficientis et labentis status remedium excogitatum fuit, quod mutationem in rerum administrationem cum in Europa tum in India induceret. Imprimis Hollandia et Zelandia, quae praecipui Societatis creditores et fidejussores fuerant, decreverunt, instituendum esse coetum sex virorum quatuor Hollandorum, binorum Zelandorum, cui coetui, quaecunque scire cuperent arcana Societatis ex ejus moderatoribus vel advocatis statim aperirentur. Hos a. 1790 mandatis ad munus istud suscipiendum necessario instruxerunt (1). Horum relationes quae typis vulgatae sunt, quatuor Societatis moderatores conscripserunt, earumque praecipua capita spectant certos fines in India dominationi Societatis constituendos et curam exhibent, in novis redituum fontibus aperiendis positam. Praeter alias emendationes imprimis hic delegatorum coetus in commercio nonnullas mutationes fecit. Sic decreto XVII 29 Martis anni 1791 (2) statutum fuit, ut commercium ex Europa in Indiam privatis concederetur, additis paucis limitibus. Paullatim plura commercii intermedii genera privatorum propria facta sunt (3). Sic quoque reditus aucti sunt, partim ex patrimonio Societatis Indico, partim ex agriculturae fructibus eorumque et aliarum rerum Indicarum mercatura. Minor navium copia in Indiam missa, officialium numerus diminutus, et commodum aliquod ex pecunia privatorum ex India in Europam transmissa, perceptum fuit (4). Aliud remedium quoque excogitatum est, quod colonos et ministros qui munerum suorum fructibus magnas opes sibi comparabant, pecuniarum partem aliquam in rem Societatis vertere cogeret. In quibus collationibus injungendis septemdecimviri numerarunt *tributum quinquagesimae pretii* bonorum a domino pro religione cujusque sua aestimandorum, imponendum ministris civibusque Indicis, sub nomine *doni liberalis*, ad exemplum ejus quod a. 1750 ibi exactum fuit (5). Verum quum inde nonnullae difficultates exorirentur, decreverunt tributum ex hereditatibus (*het collateraal*) et e muneribus

stationibus Batavis in India, serioribus temporibus a. 1772 et seqq. Ampl. VAN DER OUDERMEULEN praeclarum conscripsit de administratione Societatis librum, et numquam defuerunt, qui et antea et hodie de optima administrandi ratione consilia sua communicarent.

(1) Decretum *O. O. Holl.* d. 15 Maji 1790 *in Nederl. Jaarb.* 1790. p. 1007.

(2) *Staat der Generale Nederl. O. I. Comp.* Tom. I. *Bijlage* Litt. K. 137 seq.

(3) Id. ibid. *Nader rapport.* p. 14.

(4) Id. ibid. Tom. I. 15. 16. 17. coll. *Bijlage* Litt. F. n°. 1. 2. p. 109—122. p. 18—20. *Bijlage* Litt. G. 122. p. 26. *Bijlage* Litt. K. 137 seq. *Bijlage* Litt. L et M. 160 seqq.

(5) *Staat der Gen. O. I. C. Nader rapport.* Tom. I. 33. *Bijlage* Tom. II. Litt. S. 33—37.

publicis (*ambtgeld*) exigendum (1). Verum et haec omnia Societatis conditionem labentem relevare non potuerunt, quum insuper politica disquisitio administrationis internae necessaria judicaretur, si omnibus rebus depravatis succurrere vellent. Quae quum consilio XVII submitterentur decreverunt, ut extraordinaria legatio in Indiam mitteretur, quae cum Procuratore supremo res indagaret (2). Decreto 19 Maji anni 1791 O. O. G. G. duos viros rerum Indicarum peritos elegerunt, qui in re praesenti inquirerent quae ad fines definiendos, ad vitia tollenda, ad justam oeconomiae publicae procurationem, statui fierique necesse judicarent. Magna profecto hujus legationis exspectatio fuit, sed delegati rem ad finem non perduxerunt; nam interim tempus privilegii Societati concessi fuit elapsum, quod quum non renovaretur Societatis administratio in India dissoluta est.

Nostri non est judicii nec patitur verecundia inquirere quatenus cum prudentia constet repentina haec Societatis dissolutio: tacebo de dubia rerum conditione et possessionum Indicarum et Metropolis, neque eorum rationes refutare conabor, qui postremis imprimis annis suas de Societatis administratione opiniones aperierunt, nihilque nisi vituperationem prodiderunt. Confiteamur necesse est commercii agendi formam Societatis non diutius eo modo constare potuisse, et universe ejus systema cum politicum tum mercatorium magis ad tempora accommodatum esse debuisse (3) verum quod ubique et talia consilia adhibuerit, quae non nisi detrimentum et perniciem afferre deberent, haec et gentis Batavae gravitati et historiae documentis plane adversantur.

Numquam enim in India penitus cessavit paterna ista virtus, nec ibi minore animi constantia bellaverunt, quam qua potentiam majores fundarunt: et ad eos qui non nisi mala de Societate Batava proposuerunt, verba CICERONIS pertinere existimo. «*Ini-*

---

(1) l. c.

(2) *Staat der Gen. O. I. C.* Tom. II. 210—213.

(3) Non haec nobis proposueramus ut omnia vitia adnotaremus quae in systemate Societatis Batavae erant; ea etiam ab aliis facta sunt. Ast veram conditionem Societatis et administrationem veterem primum exposuit NEDERBURGH in Commentatione saepius laud. postea Ampl. V. D. BOSCH, op. l. qui satis superque probare videtur Societatis interitum non vitiosae et perversae administrationi sed tantum vicissitudinibus et calamitatibus tribuendum esse: et recentioribus temporibus Nobil. VAN ALPHEN in orat. saep. cit. totum persecutus est systema, et satis ostendit in multis Societatem Batavam ea egisse prudentia, quae etiam per longam annorum seriem postquam dissoluta erat summis laudibus excepta et celebrata fuit. Illud quoque experientia hodierna probat, ea onsilia quae a Societate adhibita fuerunt, et e longinquo tamquam pessima improbata sunt, saepius fructuosa fuisse. Tum quoque administratio regionum Indicarum aliis saepius nititur principiis et legibus, quam quae apud civitates et gentes Europaeas vigent.

quam esse, in omni re accusanda, praetermissis bonis, malorum enumerationem, vitiorumque selectionem (1). Ne tamen quis putet, me his verbis omnia, quae egit Societas, laudare velle: numquam eorum sententiae me opponam qui huic agendi rationi aliquod infirmitatis indicium inesse, censent: verum hoc profiteri numquam dubitabo, quod si Societas tutelam commercii Indici tantum in se suscepisset et Politicum systema in communem utilitatem adhibuisset, eam tam praeclaros eventus praebituram fuisse, quam et insignis ejus dominatio et extensum commercium promittere videbantur. Emolumenta quae Metropoli adtulit circiter *f*2000,000,000 continent: et ut ab hoc loco tandem discedam, ad Societatem Batavam quoque haec verba pertinere existimo quae TUCKERUS, ad Anglicam retulerat.» (2). «Si reputemus, imperium «quoddam virtute et industria acquisitum, sagacitate et prudentia «conservatum, moderate justeque esse gubernatum, palam ut pro-«fiteamur necesse est, administrationis systema, *qualiacunque sint* «*ejus vitia theoretica*, suis excellere virtutibus et ab hominibus «ingenii et virtutis haud vulgaris rectum esse: et quale tandem «Societatis I. O. fatum fuerit .... cum unaquaque «administratione coloniarum comparari poterit, cujus memoria «ex ullo saeculo aut aetate ad nos pervenit, quandoquidem ejus «historiae prudentiae Politicae et virtutis militaris documentis, «fortitudine heroica et eventibus celebratissimis insignes, illu-«stris et exitu optatissimo pleni curriculi memoriam posteritati «denotabunt!»

Hisce universe de interitu Societatis praemonitis, notanda adhuc sunt fata quae in India subiit commercium Batavum.

ANGLI e nostrae gloriae et nominis reliquiis circa Indiae occidentem imprimis, magna sibi comparaverant emolumenta. Commercium intermedium partim evanuit saltem imminutum fuit. Privatum commercium aliarum gentium, partem quam Batavi sibi sumserant in nonnullis Indiae regionibus ademit. Bello Anglo-Americano exorto, Provincias Unitas inter et Indiam communicatio

---

(1) Cic. de Legib. III. 22.

(2) *Wen we reflect that an Empire acquired by valour and skill, and preserved by wisdom and prudence, has been governed in the spirit of moderation and justice: we must acknowledge that the system of administration,* WHATEVER MAY BE ITS THEORETICAL DEFECTS, *must have its redeeming virtues, and must have been regulated and superintended by men of no ordinary capacity ad merit: and whatever was the fate of the East-India Company ..... it may challenge comparison with any colonial administration, of which we have record in any age or country: while the pages of its history, fertile in instances of political wisdom and military skill, of galant enterprize and splendid success, will perpetuate the memory of a brilliant and eventful career.*

impedita fuit. Pecuniae numeratae defectus, Societatis commercium infirmaverat: insignis proventuum copia in aedificiis absque ullo lucro deposita erat, et ubique impensae lucra superabant. Verum haec omnia calamitatum initium erant, quae continuo hoc corpus mercatorium dilacerarunt et uno quasi ictu istud fundamentum quassarunt quo firmiter superstructum non nisi diuturnis vexationibus dirui poterat.

Cum rerum conversione anni 1795, quae Metropolim quoque oppressit, Angli Principem Batavum ad se receperunt, et *sub ejus nomine* ut perhibuerunt, nonnullas regiones in India occuparunt: *Trinconomale* in Ceylone insula die 26 Aug. anni 1795 tradita fuit. *Malakka* d. 17 Aug. *Cochin* in littoribus Malabaricis post parvam resistentiam d. 26 Octob. *Columbo* urbs Ceylonis praecipua cum regionibus adjacentibus d. 16 Febr. 1796. *Amboina* d. 16 Febr. 1796. *Banda* ejusdem anni d. 8 Mart. et insuper insignis classis ad *Promontorium Bonae Spei* missa in Anglorum potestatem venit. Detrimentum Societati ex harum possessionum occupatione ortum summam fl. 1,400,000 effecit, omissis damnis et incommodis a privatis passis (1).

Pace Ambianensi a. 1802 art. 3 foederis stipulatum fuit, ut Angli omnes illas regiones Batavas in India restituerent, quas durante bello occupaverant, *Ceylone insula* excepta. Sed ex art. 5 respublica Batava hanc cessit, et sequenti art. 6 Promontorium Bonae Spei pleno jure ad rempublicam rediit, et quidem eo statu, quo ante bellum fuerat. Interim Societas Batava ad Moderatores in Europa sui interitus rationes detulerat: quid in ejus restaurationem adtulerint supra adnotavimus. Dominatio, deleta Societate Batava, harum possessionum nunc sub auspicia et tutelam *concilii Asiatici* d. 1 Maji a. 1800 venit, postquam respublica Batava jam a. 1798 omnia debita et emolumenta Societatis cum possessionum admistratione in se suscepisset (2): qui in Societatis sorte suam sibi partem habebant, damni aliquam compensationem accipiebant.

Sed cum interitu Societatis nequaquam aliud administrationis systema introduxerunt. Afflicta Metropolis conditio nulla suppeditare valuit subsidia: administratio Indica cum subsidiis, quae habebat, omnia sustinere debebat.

Et quo modo se sustinuit? Hoc temporis spatium, quod 14 continet annos, revera probavit in systemate Societatis tamen

---

(1) *Adres van Gecomm. Bewindhebb. uit de respective Kamer der Gen. Nederl. O. I. Comp. ter Vergad. van XVII,* 's Hage 3 Januarij 1783. door D. A. MEERMAN VAN DER GOES.

(2) Vid. *art.* 247 *van het ontwerp der Staatsregeling,* die 23 Mart. 1798.

aliquid boni et diuturni inesse, quod nisi irrigulari vicissitudinum cursu turbaretur, firmis positum esset fundamentis. Quum a. 1795 bellum erupisset, insignis proventuum copia in aedificiis mercatoriis deposita est. Cultura per hoc tempus amplificata fuit. Proventus solito majore pretio peregrinis potissimum vendebantur, et pecunia ex hac venditione percepta in Java insula, quae una fere remanserat, circumibat. Haec pecunia tamen invitis legibus severissimis contra exportationem statutis fere tota evanuit. Sic etiam durante bello contra Angliam gesto quotannis peregrinis ad summam 3,000,000 imperial. proventus venditi sunt verum tamen pecunia argentea rara mansit. Ejus importatio ab a. 1795 fere ad centum milliones aestimari potest, quae summa incolarum necessitatibus haud sufficiebat (1). Praeter hanc exportationem in pecunia numerata ab a. 1795—1808 nullae in commercio Indico mutationes factae sunt. Java se sustinuit, Metropolin adjuvavit (exportatio in Metropolin a. 1795 ad *f* 10,000,000 aestimata est) exercitum, classem et administrationis impensas solvit, atque adeo talem se praebuit, ut quasi gloriam pristinae administrationis vindicaret ac ostenderet non frustra per duo saecula administrationem curasse in India Batavos. Sive hanc rerum conditionem sequelam dicas rationum causarumque praecedentium, sive peculiari fortunae eam tribuas, ex ea tamen manifestum, hoc systema Metropolis auxilio non indiguisse, saltem illud ita comparatum esse, ut si vicissitudinibus impeditum non esset, in regulari rerum cursu non premeret (2). Anno 1808 Gubernator DAENDELS summam rerum administrationem suscepit. Is belli dux fuit insignis ut nonnulli ferunt: hanc virtutem bellicam in Java insula ostendere et voluit, verum modus quo hunc finem consequi studuit, probandus non est. Nulla habita ratione neque legum, neque consuetudinum, nec ministrorum, qui summa fungebantur dignitate, ipse jus dicebat, secundum suum arbitrium administrationem ordinavit, et ea vitia, quae à Societate commissa fuerunt non tantum retinuit, sed auxit et duriora reddidit, culturam promovit, verum eo tempore quum nulla ex ea redundare potuerunt emolumenta. Conditio tamen in quo sub ejus

(1) Cf. BRIEF *inhoudende eenige onpartijdige aanmerkingen op een* MEMORIE, p. 27 seqq.

(2) Dolendum sane, quod temporis spatium ab a. 1795—1808 cum quoad Javae insulae conditionem, tum quoad ceterarum possessionum Batavarum statum et administrationem, in multis adhuc incognitum, saltem ita explicatum et propositum non sit ut universe de vera harum regionum conditione per hoc spatium judicare difficillimum videtur. Ea enim quae cognita sunt quaeque adnotavimus, ad universalia magis pertinent.

imperio versabatur Java insula tristissima fuit, ita ut aliorum gentium concursus fere nullus erat, et proventuum vendendorum opportunitas in multis coerctata fuerit. Magna eo tempore pecuniae numeratae caritas erat; quae Gubernatorem incitavit, ut alia ratione pecuniam sibi pararet. Systema mercatorium universe idem mansit. In Europa interim Metropolis durae tyrannidi obtemperabat!

Quam primum Angli audiebant, Francos nonnullas emississe naves bellicas, ad occupandam Javam insulam aliasque Batavorum in India ditiones, e coloniis Anglo-Indicis a. 1811 belli ducem MINTO cum classe in Javam miserunt.

Naves die 4 Aug. appulerunt: statim copias emittebant, circiter 10,000 milliaria ad urbis occasum, die 25 ejusdem mensis exercitus obsidionem aggressus est et die 15 Septemb. belli Praefectus Batavus JANSENS capitulationem iniit quâ die 18 accepta, convenerunt, ut omnes possessiones in insula, armis Britannicis traderentur. Ipse belli dux JANSENS cum caeteris Praefectis et militibus captivi fierent: domania privata conservarentur, verum publica ut et munimenta, provisiones et commercii objecta dominationis Batavae propria nullo discrimine ad victorem transirent. Gubernator supremus MINTO hac occasione haec vere dixit: «*Sic igitur usurpatio ista Francorum tyrannica, in India Orientali Anglorum dominationi insignem addidit fortunam, ita ut in locum bellorum et hostilitatum, ut et aemulationis in commercio, magnum exstiterit Britannicae gloriae et prosperitatis incrementum.*» (1).

Commercium Indicum durante Anglorum administratione liberum erat, tributa importationis et exportationis modica erant. Redituum territorialium systema animos nimium intenderat, verum hujus instituti fructus nullos ceperunt. Merces coloniales haud magno erant pretio. Proventuum acceptio tamen eodem modo fiebat, et in venditione mercium nulla facta est mutatio. Terrae late patentes, alienatae et venditae sunt, multa quoque domania imperii propria; quae tamen cum argento non permutabantur sed cum pecunia chartacea; ita ut qui tributa conferre deberent, cogerentur ea pecunia numerata solvere (2). Inde

---

(1) «*An Empire which for two centuries has contributed greatly to the power, prosperity and grandeur of one of the most principal and most respected states in Europe, has been wrested form the short usurpation of the French Government, added to the dominion of the Britsh crown, and converted from a seat of hostile machination and commercial competition into an augmentation of British power and prosperity.*» WILLIAM MILBURN, *Oriental Commerce.* Vol. II. 356.

(2) J. VAN DEN BOSCH, l. c. Vol. I. 158.

et impedimenta orta sunt in vita quotidiana et in commercio: sylvae imprimis depravatae et neglectae sunt, quum unusquisque ad earum eversionem procederet. Expeditiones publicae (*posterijen*) abrogatae sunt, ita ut communicatio cum diversis insulae regionibus haud parum impedita esset. Java insula secundo habebatur loco, tamquam Provincia Bengalae subjecta, ita ut hic uberrimus divitiarum fons continuis bellis et calamitatibus fere exhaustus videretur. Non tamen is ego sum qui has calamitates tantum Anglis tribuere velim: ipsa enim coloniae conditio jam antea sub Gubernatore DAENDELS dubia fuit: contrarium existimo: illud enim satis patet Anglos ea firmitate egisse quae necessario ad rerum depravatarum emendationem tenderet, verum in multis eos magis humanitatis quam quidem necessitatis principium secutos esse, et Javanorum industriam majori valore vel pretio aestimasse, quam ad quem revera iis temporibus pervenisset, et in his quoque deceptos esse (1) eventus probare videtur. Supra pluribus locis memoravimus eorum firmitatem in constituenda hac dominatione, et quamvis fortasse animadversiones, quae nonnulli circa Anglorum administrationem in India in medium adtulerunt, omni fundamento destitutae non sint, hoc tamen eorum prudentiae debemus, quod nodum interciderint, qui tam longe rerum statum confuderat et depravaverat, et fundamentum posuerint systematis, cujus fructus hodieque tam insignes sunt, et a quo in posterum majora exspectare licet emolumenta.

Instaurata pacto d. 14 Aug. 1814, dominatione Batava in India, Procuratores-Generales C. F. ELOUT, G. A. G. P. VAN DER CAPELLEN et A. A. BUYSKES a. 1816 a Rege eo missi sunt. Nova nunc iterum apertus erat felicitatis et prosperitatis periodus et in patria aeque ac in India omnia intendebat, ut eam in commercio universo laudem et gloriam sibi compararet gens Batava, quae temporum vicissitudinibus quidem impedita fuit, verum nondum evanuit.

Quamprimum Delegati in Indiam advenissent, ibique consilium Regis, summumque quo ornati erant munus et jussum manifestassent, major in his regionibus Indicis felicitatis spes exorta est, ut patria quoque damna resarciri possent, quae per complures annos passa erat. Proventuum colonialium pretium summum, eorum desiderium in omnibus foris mercatoriis Europaeis, liberi commercii facilitas, qua unicuique naves in Indiam mittendi opportunitas patuit, imprimis studium et ardorem mercatoris, imo

(1) Hoc satis probavit *detailed settlement* quod Angli introducere voluerunt.

gentis Batavae universae excitarunt. Haec felicitas tamen ut saepius in rebus terrestibus, multis vicissitudinibus impedita est.

Ab anno 1816—1825 magnae quidem in rerum administratione exortae sunt difficultates ob gravissima, quae in diversis possessionibus Batavis exstiterunt bella, ad quae magnae requirebantur impensae, verum genuinis fontibus ab administratione Indica ad imperium Batavum missis patet, quamvis diversae hae vicissitudines et difficultates nonnullas molestias in administrandis rebus praebuissent, illas tamen non nisi *negativam* vim sive efficaciam exercuisse in conditionem pecuniariam ineunte anno 1824, neque aliquid contulisse ad insigne istud aes alienum, quo India exeunte eodem anno et seq. mersa erat, quia secundum genuinas tabulas acceptorum et impensorum ab et cum anno 1817 usque et cum anno 1823 ea quae restarent adhuc summam *f* 1,264,194 effieciebant.

Nostrum non erit indagare quatenus bella ab a. 1816 in diversis possessionibus exorta, cohaereant cum machinationibus ab administatione Indica adhibitis: magnam tamen in administratione exstitisse luxuriam et opulentiam quae fiscum colonialem onerarent ex verbis regis patet d. 17 Oct. anno 1825 in magno Delegatorum coetu expressis. Ab a. 1816—1825 agricultura haud magnos fecit progressus, et tantum consistebat in excolendis et plantandis coffeae-arboribus, quia ille proventus huc usque ad tam insigne pretium pervenerat, et administratio existimabat hunc proventum adhuc per longum tempus se eodem loco habiturum: sacchari et isatis Indici aliorumque proventuum cultura prorsus neglecta est (1).

Quum ob multas causas, quas recensere neque possumus, neque nobis proposueramus, colonialis fiscus majori aere alieno premeretur, ita ut tandem 20 millionum debitum a. 1825 existeret, Rex Augustissimus Virum Illustr. DU BUS DE GISIGNIES in

(1) Cf. ERNSTIGE BESCHOUWING *van de mogelijke gevolgen der* NEDERL. HANDILMAATSCHAPPIJ *in eenen brief van *** aan zijnen correspondent te Antwerpen.* (Leijden 1824) p. 33 ubi haec dicit. «*Java heeft die uitgebreidheid van handel in geen ander tijdperk gekend, hare producten zijn in hoeveelheid zeer aanmerkelijk toegenomen, de prijzen derzelve hebben zich staande gehouden op eene hoogte, die tot eenige kapitalen den stand van alle vroegere tijdperken hebben te boven gegaan. Heeft die ongemeene voorspoed niet van jaar tot jaar de redelijke verwachting in het Vaderland opgewekt, dat de begrooting van de inkomsten van het Rijk, in onzen verlegen toestand, zoude prijken met de hulpmiddelen, die de kolonie als eene rijpe vrucht, aan de hand die haar plantte en kweekte, terug geeft. IJdele verwachting die allen te leur stelt! niets is daarvan gebleven: en hoe zoude het dat gedaan hebben, hoe zoude de kolonie dit eenig doel van haar bestaan hebben kunnen bereiken? haar onvermogen is zoodanig, dat het korte tijdbestek van zes jaren een achterstand of te kort vertoond van de verbazende schat van* 20 *millioenen in de Indische huishouding, behalve nog menig millioen papieren geld, die in omloop gebragt zijn*» etc.

Indiam misit, Procuratoris-Generalis titulo et munere insignitum et hoc speciali mandato instructum ut depravatam rerum pecuniariarum conditionem emendaret, necessariam parcimoniam in administratione constitueret et rem monetariam conjungeret cum ea, quae in patria vigebat.

Hoc Procuratoris munus aeque gravissimum ac honorificum esse, manifestum est, quandoquidem illud potissimum in eo versabatur, ut multa privatorum commoda in favorem communis salutis, turbare deberet: honorificum in eo erat, quia rex hunc virum tantum hac dignitate, hoc munere ornari voluit.

Magna firmitas, prudentia et sagacitas ex omnibus conatibus, omnibus consiliis Procuratoris micant, quia turbata rerum pecuniarum conditio, (cui statim succurrenda erat si majora detrimenta avertereutur) imprimis annorum 1823, 1824 et 1825 jam a. 1828 eo statu restituta erat, ut omnes libri accurate elaborati et ordinati essent, et ex a. 1826 summam 2 millionum remaneret. Major regularitas et firmitas, quae ab eo tempore in administrationem inducta est, et opportunitas inde exorta ad comparandos reditus et impensas administrationis tamquam fundamentum futurae prosperitatis in bene constituta civitate merito consideratae sunt. Ab annis 1826—1828 e reditibus vulgaribus *f* 19,000,000 summam pepercit, qua administratio extraordinariis iisque gravissimis expensis succurrit, quae diuturnum istud in Java insula bellum requisivit.

Magna difficultas tamen exititit in rei monetariae mutatione, ut et in immoderata monetae cupreae advectione, quae utrum revera Procuratori-Generali adtribuenda est, ita ut vir. Illustr. uno tempore tam insignem nummorum cupreornm copiam importare voluerit, ab aliis disputatur. Illud constat inter omnes sub DU BUS administrationem universe faciliorem factam esse (1).

Haec sufficiant quae universe pertinent ad politicam Javae insulae conditionem ab a. 1816—1828. Videamus quis fuerit commercii status per hoc tempus.

Libertatis politicae restitutio in Metropoli, per complures annos, peregrina dominatione impedita et debilitata, haud parum contulit ad incrementum commercii universe, sed imprimis commercii Indici. Veteris aevi prosperitatem et florem multi grato recordabantur cives animo. Prudentia paterna ad nepotes transsierat et avitae gloriae vestigia conservanda sibi imo iterum calcanda existimabant. Monopolium Societatis Batavae et commer-

(1) Cf. opusculum *Staat van Nederlandsch Indië bij het einde van het jaar* 1828 *en het begin van* 1829. p. 82—95.

cium quo illud ab hoc instituto actum fuit damnosum et inutile merito judicatum fuit. Notitia, quam omnes fere gentes Europaeae rerum Indicarum sibi comparaverant, ut et principia et tempora diversa suadebant. Commercium igitur liberum factum fuit. Mercatura externa non tantum prohibita non fuit verum ne istis quidem impedimentis obnoxia, quae patrium commercium promovere possent. Primae naves, quae in Indiam navigabant, sub tutela imperii Batavi ejusque nomine emittebantur, et cum exeuntes tum revertentes oneratae erant: hoc partim fiebat, quia commercium in Javam irregulare erat, partim, quia proventus navibus revertentibus imperii nomine advectus insignia subsidia in harum possessionum gratiam facta resarcire et compensare deberet; sequentes naves anni ineuntis, in ipsarum tantum navium exitu conducerentur, et in posterum commercium proprium agerent.

Commercium Indicum decreto Januarii anni 1815 Principis ordinatum est, ex quo patuit omnes nationes exteras quoque admitti, unde suspicio, Angliam quaedam privilegia sibi stipulatam fuisse, evanuit. Articulo 86 hujus decreti statutum est, fore ut omnia decreta Anglica vim suam retinerent donec Procuratores-Generales alia praescripsissent in quibus memorantur art. 87 ut *naves Batavae* minora importationis et exportationis tributa solverent, quam *exterae:* aeque ac Batavae ex possessionibus Batavis in portum quemdam Metropolis appellentes, immunes essent ab omni tributo: hoc casu tamen requiritur, ut recta via cum onere integro (*ongebroken lading*) ex India O. advenerint. Quaestio ab aliis agitata, quare mercatori non concedat Imperium ut cum onere suo adeat quodcunque forum ipsi libuerit, ad investigandum, num alio loco emolumenta sibi comparare possit, forte non indigna est quae attendatur. Eum vero mercium peregrinarum portorium solvere aequum est, verum si tantum partem oneris Indici superstitem habeat, libera ei importatio concedi deberet (1). Universe tamen dispositiones de privilegiis mercatoribus Batavis prae peregrinis concessis spem irritam reddiderunt, quum naves Batavae 6 pCt. importationis tributum solverent: peregrinae naves 9 pCt. quando e portu Batavo adveniunt, et 12 pCt. si e portu peregrino adveniant. Exportatio fere eadem privilegia habebat.

Publicae proventuum venditiones institutae sunt, et plurimum offerenti, sive civis sive peregrinus esset, proventus vendebantur. Primum mercatores Batavi haud insignem concursum habuerunt, ita ut nonnulla emolumenta ex viliori mercium pretio inde ad ipsos emanarent. Verum celeriter commercium liberum imprimis

(1) *Algem. wet over de heffing der regten van in- en uitvoer*, 26 Aug. 1822. Hoofdstuk II. art. 589.

Anglorum et Americanorum aemulationem adtulit, ita ut proventuum valor ad duplum pretii primitivi augeretur, et aucta ista aemulatione ad triplum pretii forensis cresceret. Mercium manufactarum importatio imprimis immodica erat, quum contra pecuniae numeratae magna exoriretur penuria. Plurimae naves cum talibus oneribus ex Europa in Indiam missae sunt, quibuscum solebant ante 30 vel 40 annos, superstite adhuc Societatis dominatione. Vinum, oleum, caseum aliaque ad vitam necessaria continebant, quae merces a parvo Europaeorum numero desiderabantur, non vero incolarum consumtioni universae inserviebant. Haec importatio damnosa erat. Angli, qui opium, lintea eaque adferebant, quae apud populos Indicos imprimis desiderantur, averti non poterant, quia omnino incolarum necessitatibus succurrendum esset. Harum mercium importationem prohibere, donec ipsi Batavi eas adveherent, et injustum erat et vix fieri poterat. Neque ullum in vi remedium, et tributa importationis graviora fraudibus ansam praebitura erant. Hoc enim tempore aliarum gentium seclusio nihil profuisset, nisi ipsi istius mercaturae dominium vindicare potuissemus (1).

Verum haec detrimenta non tantum privatos, sed et administrationem premebant. Decreto 14 Januarii 1817 res monetaria in Javam insulam introducta est, quo florenus Batavus aequatur floreno Indico vel 30 stuv. Haec dispositio cum chartaceae monetae distributione conjuncta erat, quam monetam administratio Indica eodem valore reciperet, quem ei tribuerat, adeoque pecuniae numeratae instar erat (2). Exinde sequebatur, ut Batavus mercator, si expeditionem administrationis nomine susciperet, semper magno detrimento obnoxius esset, quod peregrinus (nam mercium et militum transportatio nomine Imperii mercatoribus Batavis tamquam privilegium singulare concessum erat) non patiebatur, qui suo nomine vel cum pecunia numerata commercium in Indiam gerebat (3). Imperium putabat se hoc modo privilegium mer-

---

(1) Opusc. *de Ernstige beschouwing van de mogelijke gevolgen der Nederl. H. M. in eenen brief van **** etc. p. 27, 28.

(2) De pecuniae chartaceae in genere damnis latus egit Consult. P. W. ALSTORPHIUS GREVELINK in eximio suo *Specimine Oeconomico-Politico Juridico de summi Imperantis cura quae dicitur indirecta in industria promovenda*. a p. 254. (Lugd. Bat. 1832).

(3) Haec fusius exponere specialem requireret Dissertationem: sed quum hujus rei monetariae institutum revera inter causas detrimentorum quae subiit commercium Indicum recensendum sit, et ea in opusculo *de Ernstige beschouw.* etc. exposita sunt. Non possumus, quin pauca tantum hic adnotemus, quae ad illustrationem hujus fati pertinent, sic p. 53 l. c. dicit auctor anonymus: «De Nederlandsche koopman toch was gehouden de waarde der goederen, van welke hij den overvoer had aangenomen, bij wege van voorschot in Nederland te voldoen, en ontving daarvan de

catoribus Batavis prae peregrinis concessisse, sed peregrini privilegium prae iis accipiebant.

Hoc loco tamen memorare debemus, quae adnotare supra promisimus, nimirum durante Anglorum administratione in Java, illos imprimis industriae objecta indigenis vendidisse, qui jam istis fabricatis assueti, illa prae aliis desiderabant. Aedificia mercatoria in interioribus construxerant, quae insigne desiderium horum fabricatorum habebant, ita ut exinde saepius trium pluriumque sortium lucrum sibi compararent.

Quod autem immoderatum Anglorum desiderium, qui majores expeditiones in possessiones Batavas suscipiebant, ibique suae industriae objecta dispergere et vendere pergebant, latuerit administrationem Batavam, hoc egregie refutat Nobilissimus G. K. VAN HOGENDORP, qui hanc conjecturam an opinionem dicam ridiculam putat, quia mercatores Batavi qui has oras tam saepe visitant, oculos secum ferunt, et quum communicatio has oras inter et Metropolim tam insignis sit, fieri non poterat quin magna fabricatorum Anglicorum distributio iis quoque cognita fuerit (1). Forte haec detrimenta nimiis curis tribuenda sunt quibus implicita erat administratio, quam ut omnes commercii fontes experiretur. Ut tamen immodicae Anglorum importationi quemdam modum ponerent, a. 1818 Procuratores Generales generalem regulam 6, 9 et 12 pCt. tributum imposuerunt, ut antea vidimus.

Quum haec fata ad Regis Augustissimi aures pervenissent,

---

terugbetaling op *Java* met eene premie van 12 pCt. Deze premie was geen winst voor den koopman, omdat daaruit de interessen, assurantie en andere ongelden moesten worden goedgemaakt. Wij kunnen dus alleen letten op het voorschot van gelden door hem gedaan. Wij stellen alzoo dat de koopman in Nederl. heeft gedeponeerd *f* 100,000: dan ontving hij daarvoor op Java $83^1/_3$ zoogenaamde Indische guldens, welke hem betaald konde worden met dezelfde muntspecien van welke hij er 100 stuks in Holland had laten staan, of met eenen papieren munt, welke verklaard was daaraan gelijk te zijn, en hij onderging alzoo een dadelijk verlies van $16^2/_3$ ten honderd. De vreemde koopman daarentegen, die goederen voor eigen rekening aanbragt, had het groote voordeel van speculatie, en bijaldien hij zijne lading eenigzins goed gekozen had, kon hij bij den verkoop van dezelve, bijna even zoo zeker zijn van eene dadelijke winst van $16^2/_3$ pCt., als de Nederl. koopman zeker was van zijn verlies. Bragt hij geene koopmanswaren, maar gouden of zilveren muntspecien aan, dan moesten dezelve, het is waar, gecargeerd worden met intressen, assurancie en andere ongelden, hetgeen wij berekenen zullen op 12 pCt. of gelijk aan de premie welke de Nederl. koopman voor den overvoer van Gouvernements goederen genoot, maar dan had de vreemdeling het zeer groot voorregt dat hij de aangebragte muntspecien kon *uitgeven*, tegen den verhoogden Indischen prijs, terwijl in tegenoverstelling de Nederl. koopman, tegen dien verhoogden prijs dezelve moest *ontvangen*» etc. quae seq. p. 55.

(1) *Advijs over de verhandel. over de oorzaken van het verval des Nederl. Handels uitgebragt* door G. K. *Grave* VAN HOGENDORP, uitgegeven door Prof. H. W. TYDEMAN. (Loosjes, Haarlem 1828) p. 13 et 14.

ipse nostratium fabricatorum specimina quaedam sibi praeberi jussit, quae felicem habuerunt eventum et secundum Indicae administrationis testimonium Anglorum fabricata aequabant. Tandem omnem concursum immodicum ea dispositio (a. 1823) delevit, qua gossypia et extera lintea majoribus importationis tributis onerabantur, quum Batava ab omni tributo libera facta sunt. Haec tributa ad 15 pCt. usque aucta sunt pro navibus Batavis et 24 pCt. pro exteris, et importatio partim cum navibus Batavis fiebat. A. 1824 haec tributa iterum aucta sunt a 25—30 pCt. pro unaquaque nave, quando fabricata e regionibus vel locis ad orientem Promontorii Bonae spei sitis advehuntur: nuper quoque stationes, in quibus merces collocantur (*entrepôts*) in Anjar, Samaranga et Sourabaya construxerunt ad excitandum commercium, quod in permutatione consistit et ad constituendam mercaturam liberam eo consilio ut mercatura peregrina a venditione in interioribus separetur (1).

Dolendum sane est quod nonnulla consilia non prius fuerint excogitata quia tunc certe multa detrimenta averti potuissent, praesertim quia eventus satis probavit fabricata nostra imprimis desiderata fuisse quum eorum importatio a. 1824 summam *f* 297,148 tantum praebuerat, duobus annis post a. 1826 fl. 1,544,770 (2). Ex his satis liquet fata, quae commercium Indicum ab a. demum 1816 subiit revera transiisse ad mercatorem Batavum, eaque imprimis tribuenda esse immodicae importationi necessitatis incongruae et repentinis commercii liberi vicissitudinibus.

Verum et pecuniae numeratae caritas commercium pressit. Societas Batava quotannis 5 vel 6 milliones importare curabat, et 3 milliones in mercibus, omnisque insuper pecuniae numeratae exportatio prohibita fuit.

Ab a. 1795—1808 administratio Indica privilegia et emolumenta iis constituit, qui pecuniam numeratam importarent, mercium advectionem contra coërcuit. Imperante DAENDELS et sub *Anglorum* administratione, pecunia rara erat. Post annum 1816 pecuniae iterum penuria exorta est, et hodierna ejus importatio dimidium tantum affert ejus, quod antea importare consueverant. Mercium importatio contra aucta fuit, propter insigne desiderium, eaque importatio fiebat quum chartacea pecunia ederetur, nullo privilegio numeratarum importationi concesso. Magna exterorum fabricatorum emtio ut consumtioni satisfieret, insignis quae in

(1) VAN ALPHEN, l. c. p. 100. 101. DE HAAN, *Coloniaal bezit en handel*, 49. OUWERKERK DE VRIES, *Verhandel. over de oorzaken van het verval* etc. p. 132—139. *De Ernstige Beschouw.* l. c.

(2) C. S. W. DE HOGENDORP, l. 21.

Ad pag. 129.

DE EXPORTATIONIBUS ET IMPORTATIONIBUS AB A. 1822—1829.

EXPORTATIO.

Anno 1822.	Universe summam continebat . .	fl. 24,445,694.
	A qua si detrahimus in pecun. numer.	« 3,483,354.
	Remanent in mercibus.	« 20,962,340.
« 1823.	Universe summam continebat . .	fl. 24,160,446.
	In pec. numer.	« 2,491,084.
	Remanent in mercibus.	« 21,669,362.
« 1824.	Universe summam continebat . .	fl. 18,627,550.
	In pec. numer.	« 1,982,644.
	Manent in mercibus	« 16,644,906.
« 1825.	Universe summam continebat . .	fl. 17,888,361.
	In pec. numer.	« 1,861,627.
	Manent in mercibus	« 16,026,734.
« 1826.	Universe summam continebat . .	fl. 15,273,502.
	In pec. numer.	« 2,482,159.
	Manent in mercibus	« 12,791,343.
« 1827.	Universe summam effecit. . . .	fl. 17,165,957.
	In pec. numer.	« 2,297,730.
	Manent in mercibus	« 14,868,227.
« 1828.	Universe summam continebat . .	fl. 17,508,341.
	In pec. numer.	« 1,209,294.
	Manent in mercibus	« 16,299,046.
« 1829.	Universe summam continebat . .	fl. 15,902,658.
	In pec. numer.	« 2,084,180.
	Manent in mercibus	« 13,818,478.

IMPORTATIO.

Anno 1822.	Universe summam continebat . .	fl. 20,855,037.
	In pec. numer.	« 2,740,735.
	Remanent in mercibus	« 18,114,302.
« 1823.	Universe summam continebat . .	fl. 21,154,539.
	In pec. numer.	« 3,849,576.
	Manent in mercibus	« 17,304,963.
« 1824.	Universe summam continebat . .	fl. 16,095,265.
	In pec. numer.	« 2,341,805.
	Manent in mercibus	« 13,753,460.
« 1825.	Universe summam continebat . .	fl. 14,317,190.
	In pec. numer.	« 1,879,229.
	Manent in mercibus	« 12,437,961.
« 1826.	Universe summam continebat . .	fl. 14,232,997.
	In pec. numer.	« 3,982,822.
	Manent in mercibus	« 10,250,175.
« 1827.	Universe summam continebat . .	fl. 17,656,201.
	In pec. numer.	« 4,512,213.
	Manent in mercibus	« 13,143,988.
« 1828.	Universe summam effecit . . .	fl. 17,976,094.
	In pec. numer.	« 2,616,707.
	Manent in mercibus	« 15,359,387.
« 1829.	Universe continebat summam . .	fl. 16,755,273.
	In pec. numer.	« 2,188,052.
	Manent in mercibus	« 14,567,221.

multis, *Americanis* et *Anglis* prae Batavis mandata et concessa sunt; magnae istae et sumtuosae negotiationes, quae apud peregrinos ad immensos reditus constitutae sunt, quum in patria ad modicos reditus, insignes sortes concedi et parari possent, effecerunt ut minora e commercio Indico in Batavos redundarint emolumenta. Universe tamen Java insula nullo tempore istam in commercio extensionem et felicitatem cognovit: nam proventuum pretium numquam eo loco se sustinuit quam hoc tempore, de quo nunc agimus, ita ut revera adhuc mirum sit, tam praeclara emolumenta administrationis expensas resarcire et compensare non potuisse: per annos 1822, 1823 et 1824 summam *f* 66,960,080 impendit administratio, quum ab a. 1817 usque et cum anno 1823 expensae summam *f* 151,952,666 efficerent, reditus eodem temporis intervallo *f* 153,216,860 valerent, ita ut lucrum superesset *f* 1,264,194.

Ut pateret quae fuerit conditio mercaturae Batavae in India ab a. 1822—1829, subjungere liceat Tabulam *Importationis* et *Exportationis* (1). Doleo, quod ab instaurata inde Batavorum dominatione in India, has tabulas conficere non potuerim, nam in Scriniis publicis nullae aliae aderant, verum quia plurima emolumenta ab anno 1816—1822 ad peregrinos transierunt, et nostrum commercium ab eo inde tempore tantum quaedam incrementa acceperit, hae sufficere possunt. Ad annum 1827 sub pecunia num. nummos cupreos quoque recensuerunt. Fere animadvertere neglexeramus, mercatores Batavos sub Societatis Batavae dominatione non nisi ejus consensu navigare potuisse, adeoque et multas lucri faciendi opportunitates iis incognitas mansisse; quum et post Societatis dissolutionem Metropoleos portubus inclusi essent, ita ut plane incertae essent eorum expeditiones. Sed si eo tempore totam rerum conditionem statim accurate indagevissent, non dubium quin ea incommoda resarcire potuissent quae per longam annorum seriem passi sunt. Commercium ordinatum neque continuis vicissitudinibus laborans, imprimis promovendum est: illudque acute alii animadverterunt, commercium cum Java, insula incertum, imprimis aliis gentibus commoda, civibus detrimenta praebere. Verum non possimus quin verbo quoque cupreae monetae a. 1826 in Java insula emittendae rationem exponamus, et videamus qualem habuerit effectum. Notum est, Societatem Batavam propriam habuisse rem monetariam, signo V. O. I. C. insignitam, quam in India majori pretio edebat et

(1) *Verslagen van den Handel, Scheepvaart en Inkomende en Uitgaande regten op* JAVA *en* MADURA, door J. KRUSEMAN.

quorum nummorum centum pro floreno permutari poterant, ita ut lucrum praeberent 60 pCt. Postea idem lucrum cum eadem re monetaria remansit. Post Javam insulam occupatam, praesens moneta chartacea pretio vehementer imminuta est, quam dominatione Batava instaurata conservavit administratio, sed duta (*duit*) iterum creata fuit. Sub administratione nobilissimi VAN DER CAPELLEN hujus nummi distractio insignis fuit. Post adventum vero Procuratoris-Generalis DU BUS, is omnem importationem sive advectionem diminuit, quia cupri copia tanta erat, ut eam amplius deponere non valeret. Officiales et ministri, qui imperii partem habebant, coacti erant partem quamdam in nummis cupreis accipere. Insignes inde ortae sunt difficultates et brevi moneta cuprea longe infra parem valorem cadebat. Unde ista diversitas exorta sit in tam brevi temporis spatio, adhuc quaeritur? Importatio hujus monetae in Javam, revera fructuosa et utilis est, et si a. 1826 ista moderate, sensim sensimque emissa esset, revera nimia non fuisset. Javani, qui pro floreno 120 dutas accipere solebant, nunc secundum hanc rem monetariam tantum 100 accipiebant, cui mutationi non lubenter favebant. Sic v. c. is, qui coffeae quantitatem ad summam *f* 22 emebat, loco summae argenti, rei emtae consentaneae tantum 7 kilogrammata nummi cuprei accipiebat, quorum valor internus est fl. 15. Nimia liberalitas in importatione, advectionem cupri rudis externi late admisit: inde Javanus hoc cuprum conflavit, vel metallum tamquam conflatum-cuprum minori pretio sibi comparare potuit et monetam cupream pretio aucto accipere noluit (1).

Sub Procuratore-Generali DU BUS (i. e. a. 1826, 1827, 1828) magna tamen in commercio mutatio exstitit, cum propter immensam objectorum patriae industriae advectionem, tum ob illorum proventuum exportationem, qui ubique desiderabantur et quorum copia quotannis aucta est. Navigatio et mercatura patria imprimis eo tempore excitata est et a debilitatione et ignavia ita relevata, ut non tantum cum peregrinis concursus facilior facta sit, verum quamvis proventus coloniales infimo pretio constituti erant, major objectorum exportatio existeret. Agricultura sub DU BUS imprimis magna fecit incrementa, quibus sacchari Isatis Indici aliorumque adhuc incognitorum proventuum cultura amplificata est, quae in posterum magna promittebant commoda, et quibus hodie jam fruimur. Argentariae publicae Javanensis institutum (2) (*Javasche bank*) quod commercio tam magna commoda praebet et cum

---

(1) C. S. W. DE HOGENDORP, l. c. p. 13 et 14. OUWERKERK DE VRIES, Comment. l. 133. et Cl. H. W. TYDEMAN, in additam. ad op. l. *Advijs* etc. a p. 61—69.

(2) D. 1 Jan. 1828 ad decem annorum spatium.

remonetaria vigente tam utile erat, diversa instituta in favorem agriculturae, aliaeque dispositiones revera salutares et prudentes haud parum contulerunt ad emendandam Javae insulae aliarumque possessionum Batavorum in India, conditionem. Durante Procuratoris-Generalis administratione summa *f* 58,094,629 impensa est, quae *quoque extraordinarias expensas* comprehendit, quas bellum necessarias fecit. Per hos tres annos in vulgaribus reditibus summam *f* 19,471,696,03, reservavit Procurator, qua administratio extraordinariis iisque gravissimis belli subsidiis satisfecit (1).

Et nunc rem contrahamus. Verum quidem est et vicissitudines, quas coloniarum traditio praebuit et continua bella, quae insignia requirebant subsidia, contulisse ad augenda damna, quod paullatim nostrum commercium in India recentioribus temporibus subiit, verum vitium et vitii causam praecipuam imprimis ponendam ducimus in nimis repentino transitu ad nimiam libertatem mercatoriam, in fontium incertitudine, in insigni aliarum gentium concursu, in prava et vitiosa rei monetariae constitutione, in perversa rerum commercialium importatione et exportatione, in magna quae in administratione viguit luxuria et opulentia, in sumtuosis expensis, tandemque in variis rebus incertis, quae nulla firmitatis specie institutae effecerunt, ut quum fere post decem annorum spatium plurima spes fefellisset, denuo ab initio incipiendum esset. Triginta octo milliones, quibus coloniam postea succurrit imperium, certe imprimis administrationem faciliorem reddiderunt, verum universe major ab eo inde tempore oeconomia in plurimis rebus exititit, quae spem haud parum excitarunt fore ut aliquando e possessionibus Indicis in patriam majora emanarent emolumenta.

Ab eo inde tempore, restituta in insula pace, Gubernator Generalis J. VAN DEN BOSCH rebus Indicis praepositus est. De consiliis, quibus in coloniarum emolumentum usus fuit, adhuc judicatu difficile est, verum nullum dubium quin per triennium, quod in India Orientali summa hac dignitate ornatus, transegit, universe commoda incolarum amplificaverit, et manum adhibuerit ad corroborandam istam in India gravitatem et ad augenda ea Batavorum emolumenta, quae et experientia studioque in rebus Indicis indefesso probe ei cognita esse, multis praeclaris speciminibus ostendit.

Pervenimus tandem ad eum locum, quo commemorandae sunt diversae rationes, quibus commercium Indicum auctum et amplificatum est. Primum nominanda est SOCIETAS MERCATORIA

---

(2) Vid. *Staat van Nederl. Indië* etc. p. 76—81.

HODIERNA (*de Nederlandsche Handelmaatschappij*). Quum mercatura libera tanta detrimenta adtulisset, multi communi ope potius se conjungere voluerunt, quam incerto commercio se exponere. Decreto Regio 29 Martis 1824 haec Societas mercatoria instituta est eo consilio, ut universe commercium excitaret, verum potissimum mercaturam et navigationem patriam in India promoveret.

Haec Societas igitur eo tempore maximi erat momenti, et multorum tulit suffragium, ita ut quamvis sors 12 ad 24 millionum tantum requireretur, ea ad 37 milliones creverit. In hoc tam insigni participum numero vitium inesse multi existimarunt. Nam decretum ita comparatum est ut ad restaurationem labentis commercii patrii tendat et ut *succurrat* haec Societas commercio Batavo in India. Ex hoc principio si rem indagemus constabit 12 milliones revera suffectura fuisse: quo quidem modo comparata, et administratio Societatis facilior fuisset, et magis consilio regis et rationi ob quam instituta fuit, satisfecisset. Nunc enim quum fl. 37,000,000 instruere deberet, saepius privatum commercium corrupit. Nos tantum indagabimus quatenus haec Societas commercium Indicum revera adjuvaverit et promoverit.

Societas mercatoria totam mercaturam, majorem saltem ad se convertit. Manufabricatorum commercium, ut et expeditiones quae publica auctoritate suscipiuntur, curat et suscipit: quod si hunc laboris sui terminum constituisset, salutaris profecto fuisset ejus effectus: nam tunc aliarum rerum necessariarum commercium privatus quisque mercator sibi retinuisset: verum et *haec* sibi vindicavit et quidem ita, ut omnem concursum moderaretur. Neque illud (si verum sit) probandum videtur, Societati majora privilegia quam privatis concedi. Hoc tamen constat Societatem mercatoriam illud emolumentum sibi conservare, ut merces in Metropoli contractu sibi comparet, quas in patriam remittit; quod privatis interdictum est. Verum quamvis haec revera noxia sint, tamen ab altera parte magna jam praebuit commoda, quum insignis ista sortium conjunctio in ista et hodierna rerum conditione in qua commercium inordinatum et damnosum erat, cum pretiorum sustentatione et assecurationum incitamento, tum propter multarum navium constructionem, haud parum eo contulerit ut ipsa navigatio aliquantum ad pristinum florem rediret. Neque haec major Societatis mercatoriae potentia privatorum ambitionem et conatus infirmare debet, quum sic et cresceret ejus auctoritas, ita ut demum omnia ad se converteret. Quamvis Societas Anglica pleraque emolumenta e commercio sibi comparavisset, tamen

privatorum expeditiones quotannis auctae sunt, nec privata sua commoda Societati reliquerunt (1). In plerisque Societas mercatoria a primario institutionis consilio recessit, quum decreto imprimis cautum fuerit, ne privatorum commercium inde detrimentum caperet neve ei jus quoddam exclusivum concederetur. Vid. art. 7. d. l.

Coffeam quotannis pretio condicto imprimis e Preanger-praefecturis Societati praebet administratio Indica, item *stannum* e Banca insula, sic quoque *indigo* et *saccharum*.

Si haec Societas initio instauratae dominationis Batavae in India instituta fuisset, certe plurima detrimenta avertere potuisset, quae nunc ob insignem Anglorum et Americanorum concursum passa est mercatura patria. Statio mercatoria praecipua hujus Societatis, Bataviae constituta est. In multis nova praebet prosperitatis subsidia in manufabricatorum desiderio, quod ad 15 milliones homines fere se extendit. Quae tamen ejus in commercio via futura sit, et qualem sibi finem proposuerit, eventus docebit. Universe totius commercii rationem moderari videtur haec Societas, verum praecipuae ejus expeditiones ad commercium Chinense et ad Javam insulam pertinent.

In Metropoli ex hoc instituto imprimis magnum lucrum accepit Belgarum industria, ob magnam distractionem linteorum et operum manufabricatorum Belgicorum, quae ultimis his annis (1828 et seq.) complures effecerunt milliones. Belgarum multi in sorte Societatis mercatoriae ante aliquot tempus aequalem partem habuere: nunc separatione Batavos inter et Belgas orta non dubium quin eo loco habeantur, quo caeteri peregrini. Jus sive securitas 30 pCt. qua commercium Belgicum munitum fuit prae peregrino, impedire non potuit quominus recentiori tempore peregrini cum majoribus tributis, operum manufabricatorum mercaturam, ad eandem pretii aestimationem, qua Belgarum perducerent. Quamprimum igitur Belgarum jura eadem erunt ac aliarum gentium exterarum, aliter fieri non poterit, quin fabricata Belgica celeriter evanescant et eorum in ditionis Batavo-Indicis pereat commercium (2).

Verum et sic hujus operis fines transgrederemur et quaestionem tractaremus cujus hodie adhuc dubia est responsio. Neque facile de hujus separationis effectibus certa quaedam proponi possunt, quum diversa plane sit politicae doctrinae ratio, quam hodie rerum moderatores sequi videntur.

Alterum, quod recentiori tempore Batavorum dominationem

---

(1) Cf. VAN ALPHEN, l. c. 230.

(2) P. DE HAAN, *Koloniaal bezit en handel*, p. 52.

in India confirmavit est *Pactum* d. 17 Martis a. 1824 *Magnam Britanniam inter et Regem Batavum* (1). Hoc pacto jura et commoda mutua incolarum constituuntur in possessionibus Indicis Anglorum et Batavorum et inter alia haec quoque praescripta sunt, ut incolae in Archipelago Indico, in Indiae continenti et in Ceylone insula ad commercium admitterentur eo loco, quo nationes omni favore et benevolentia gaudentes habentur, et ea quidem conditione ut naves hujus nationis cum in exportando tum in importando et in portubus illius in maribus Orientalibus nulla tributa solverent majora duplo eorum, quibus incolae et naves gentis, cujus hi portus sunt, onerantur: vel 6 pCt. quando nullá tributa, sive portoria imposita sunt incolis vel navibus gentis ad quam hi portus pertinent. Ex his tamen art. 7 pacti, et quamdiu imperium Batavum aromatum monopolio non renunciaverit, excipiuntur insulae Moluccenses, et peculiariter quidem Amboina, Banda et Ternate cum regionibus quae ad eas pertinent. Hoc pacto quoque possessiones mutuo cessae sunt, nimirum a Batavo imperio omnes eae, quae sunt in *Indiae continenti*, et a Magna Britannia, *statio mercatoria* cum arce MALBOROUGH omnesque hujus imperii possessiones in SUMATRA insula.

MALACCA claustrum insularum regionumque occasum versus Sumatrae insulae, quando naves per fretum Sundanum vel Malaccanum transeunt, ad Anglos pervenit: nos vero *Bencoulen* in Sumatra insula accepimus, ita ut dominatio Batava hodie in hac insula revera insignis sit, et ex ea majora capere possit emolumenta.

Hoc pactum Anglorum auctoritatem in India auxit. In Asia enim insigne imperium constituerunt Angli, et Malaccam inter et reliquas possessiones Anglo-Indicas communicatio, imprimis hujus insulae accessione aucta est. De *Sincapoura* in introitu freti Malaccensis, quae cum Anglo-India et China totoque Archipelago commercium agit et ob situm eximium revera magni est momenti, hoc loco non agemus. Et si consideremus, politicam imperii Britannici adversus nostrates agendi rationem, mirum videbitur, quae quidem causa fuerit privilegiorum Anglis concessorum. Batavi enim non ista apud Anglos gaudent benevolentia, qua aliae gentes. Navigatio in Indias-Anglo-Occidentales iis interdicta ut et in ipsa Anglia quintae tributorum partis augmento, onerati sunt. Nos contra tributum 25 pCt. e linteis et gossypii fabricatis (*wol- en katoen-fabricaat*) ex Europa advectis exigimus, verum haec tributa et peregrinas et naves Batavas premunt: quae tributa secundum pactum a. 1824 duplicari poterant.

---

(1) *Staatsbl.* n°. 39.

Praeterea in commercio nostro Orientali, non ea impedimenta dicam an exceptiones, quas in multis Anglorum portubus invenimus, quarum unum hic exemplum adtulisse sufficiat: exteris nempe vel peregrinis navibus interdictum est quominus cum oneribus suis e coloniis Britannicis ad portum Imperii Uniti navigent, quum omnes portus Batavi pateant unicuique navi Britannicae, quae onus in Batavo-India acceptum, ad Metropolin depotare velit (1). Invidia imprimis a commercio arcenda. Neque peregrinorum admissio, hodie amplius commercio et industriae damnosa existimatur.

Hic enim error systematis *prohibitivi* quod vocant, quodque ea falsa opinione nitebatur, qua homines judicabant non utrosque mercaturam invicem agentes beneficium capere posse sed semper unius lucrum alterius damno compensatum esse. Mercator quidem peregrinorum in foro coloniali concursum non sperat. Navis possessor (*reeder*) existimat se majora onera vel transportationes stipulari posse, quando naves peregrinae arcentur. Universe difficile est talibus hominibus persuadere non tantum patriae universae prosperitatem verum et privatorum commodum augeri peregrinorum admissione.

Possesiones Batavae in India orientali revera fontes ditissimi sunt navigationis, mercaturae, agriculturae et fabricatorum in Metropoli: quo major sit proventuum in possessionibus istis copia, eo majores agriculturae proventus et fabricata distrahuntur. Proventuum mutuorum pumutatio Metropolin inter et Batavo-Indiam revera commercii et navigationis mutuae fundamendum est. Necessitatibus ad vitam in India hodie imprimis cum proventibus Europaeis succurrunt. Et quam insigne sit lucrum, quando proventus notros inter 15 milliones homines vendere possimus per se patet. Commercium et navigatio in Indiam et ex India in Europam revera principatum tenet (2). Quo majus in Coloniis nostris exoriatur agriculturae incrementum eo major erit industria, eo major opportunitas permutandi merces coloniales cum proventibus quos perfert civium industria. Maxima harum possessionum illecebra constat securitate proventuum vendendorum. Ubi enim mercatores et naves deficiunt, agricultura languet et fons unde

---

(1) Doct. OUWERKERK DE VRIES in Comment. laud. p. 213—215. «Het Nederlandsch Gouvernement vordert dus op de voortbrengselen slechts van *twee* grondstoffen *minder* dan het volgens tractaat vermogt, en dan staat het montant nog niet gelijk met de regten van 30 pCt. welke bij het tarief in *de nu zoo mild* geprezene West-Indische vrijhavens op ten minsten 6 hoofd-artikelen wordt geheven.»

(2) Commercium Indicum in genere *f* 20 ad *f* 25,000,000 circuitum praebet: et ex annuis relationibus saepius citatis patet, exceptis Metropoli et Anglia, aliarum gen, tium Europaearum partem in commercio et navigatione Europam inter et Indiam revera exiguam esse.

omnia gentis emolumenta e manant, exarescit. Ubi contra mercatores et naves multiplices sunt, prosperitas publica ad culmen evehitur. Hac potissimum ratione Imperium ductum peregrinos admittit. Verum et hoc curarunt rerum moderatores, ne *peregrinae naves* eodem loco haberentur, quo *Batavae.* Patrium commercium semper suis gaudet privilegiis et juribus. Hunc in finem tributa constituta sunt, quae eo gravius peregrinos premunt nec tamen patriae navigationi et mercaturae nocent. Verum id quoque egerunt ne ista tributa nimis gravia essent, ita ut iis peregrini absterrerentur et sic eorum admittendorum propositum deficeret: nam et sanae oeconomiae Politicae et justitiae praeceptis, quibus universe societas civilis continetur, prorsus repugnat, propriae industriae subveniendae causa, peregrinas merces prohibere. Aequitas enim postulat, ut omnibus facultas libera concedatur, inde sibi quaerere quae ad vitam necessaria sunt, ubi probiores merces viliori pretio comparantur: quod si singulis in republica civibus prodest, non potest universae civitati non prodesse. Quo major navigationis opportunitas in colonias, eo majora emolumenta: et si navigatio peregrina plane excluderetur, tunc et agricultura et fabricae et prosperitas patria revera insignia subirent damna. Fraudes in commercio exorirentur et cum Anglis et Americanis contendere non possemus in foris Archipelagi et continentalibus liberis. Sic igitur patet aliarum gentium seclusionem revera inutilem esse, si ipsi eam mercaturam agere nequeamus, quam earum navigatio praebet. Dispositiones *prohitivae* Anglorum, quamvis omnino habeant quibus se apud eos commendent, nullius momenti sunt in possessionibus Batavorum Indicis. — Verum ulterior disquisitio eorum, quae mercaturae commoda promovent, ad hunc locum non pertinet. Mercatura omnes gentes conjungit, forum aperit mercibus septemtrionalis orbis partis in meridionalem, omnes gentes participes facit eorum emolumentorum, quae Providentia divina in diversis mundi partibus benigne parsit.

Verum hic terminus sit Dissertationis, quam ideo potissimum conscribere constitueram, ut earum regionum notitiam historicam mihi compararem, quas puer adhuc reliqui et nunc brevi iterum adire proposui. Plura de regiminis forma in Java insula imperii sede dicere, primum mihi proposueram, verum quum et haec quae disputavimus, forsan et Dissertationis terminum jam excedant, ea potius omittere volo. A Lectori benevolo peto, ut quidquid hic pro argumenti gravitate exploratum vel expositum non sit, juveni virium tenuitatis conscio condonet! —

THESES.

I.

L. ult. D. *qui potior. in pign.* alium casum continet, ac l. 28. *de jure fisci:* sine ulla mutatione igitur hac leges recte conciliari posse videntur.

II.

Si quis absens, condemnatus ad poenam, quam sequitur mors civilis, post quinquennium se steterit, et novo judicio absolutus sit, bonorum tamen suorum dominium recuperare videtur.

III.

Non idonea videtur adesse causa, cur tutor ab emendis rebus pupilli; quae in publica auctione veneunt, prorsus arceatur. Attamen illud per Cod. Civ. Franc. art. 1596 prohiberi contendimus.

IV.

Recte Doct. REIDING in Disput. *de fictionibus juris* apud Romanos (Gron. 1829) docuit, ipsum legislatorem fictionibus numquam usum fuisse, quandoquidem illi tali adminiculo opus non erat. Legislator *lege jubet,* non fingit: sed Jurisculti et Praetores, quia *lege jubere* non poterant, ideo fictione usi sunt.

V.

Legis fundamentalis art. 60. quo regi, cum omnium exclusione summum coloniarum et possessionum in aliis mundi partibus sitarum imperium conceditur, Ordines Generales quoque excludere videtur.

VI.

Coloniae Batavae in India Orientali, secundum legem fundamentalem non ad Regnum pertinent, sed inter possessiones enumerandae sunt, quas Regnum in aliis mundi partibus habet. Attamen pactum a. 1824 Regem nostrum inter et Brittanniam circa possessiones Indicas initum, merito Ordinibus Generalibus communicatum est.

VII.

Licet mercatura plerumque optime floreat, si civibus privatim permittatur libere, quocunque velint commercii causa navigare, instituta tamen Societas Indiae Orientalis, initio Reipubl. foederatae Batavae, necessaria fuit ad mercaturae Batavorum incrementum.

VIII.

Agricultura sine mercatura florere non potest.

IX.

Et sanae Oeconomiae-Politicae et justitiae praeceptis, quibus universe Societas civilis continetur, prorsus repugnat, propriae industriae subveniendae causa, peregrinas merces prohibere. Aequitas enim postulat, ut omnibus facultas libera concedatur, inde sibi quaerere quae ad vitam necessaria sunt, ubi probiores merces viliori pretio comparantur: quod si singulis in republica civibus prodest, non potest universae civitati non prodesse.

X.

Recte Philosophus MOSES MENDELSON (*Jerusalem, oder über religiöse Macht und Jud.* Berlin 1782. p. 19) adfirmat, haud magis unam imperii formam omnibus gentibus, quam unum cibum toto humano generi esse idoneum. Eandem sententiam tuetur ROUSSEAU, *Contr. Soc.* III. c. 8.

XI.

In disquisitione de optima regiminis forma duo imprimis videntur adtendenda, indoles gentis et varia temporum conditio: nam quae forma aliis populo optima est, ea alii nequaquam conveniet, et quae hoc tempore est aptissima, eadem alio tempore eidem populo non erit probanda.

ERRATA, QUAE VIDI.

Pag.	9,	reg.	24	*capiant*	legatur	*cupiant*
»	13,	»	14	*deminutum*	»	*diminutum*
»	14,	»	13	*cultura in Indiae*	»	*in India*
»	—	»	—	*Europarum*	»	*Europaearum*
»	18,	»	12	*fuite Batavis*	»	*fuit e Batavis*
»	21,	»	15	*eum Celebes*	»	*cum Celebes*
»	—	»	8	*Celebis*	»	*Celebes*
»	22,	»	20	*obnexios*	»	*obnoxios*
»	25,	»	14	*memoratis*	»	*memoratas*
»	27,	»	8	*Societaii*	»	*Societati*
»	29,	»	14	*insigne sita*	»	*insignes ita*
»	31,	»	19	*Borne*	»	*Borneo*
»	33,	»	8	*ankeraadjegelden*	»	*ankerage gelden*
»	34,	»	17	*posessionibus*	»	*possessionibus*
»	50,	»	15	*ex co magno*	»	*ex eo magna*
»	—	»	16	*Bengale*	»	*Bengalia*
»	—	»	20	*florinorum*	»	*florenorum*
»	—	»	24	*Tirado*	»	*Firado*
»	68,	sub §	2	*De Java*	»	*De Javae*
»	88,	pr.		*Sectio Tertia*	»	*Sectio Secunda*
»	—	reg.	5	*quam*	»	*quem*
»	89,	»	15	*mensibus*	»	*messibus*
»	92,	»	21	*Mahomedanae*	»	*Muhamedanae*
»	—	»	12	*tributas ecundum*	»	*tributa secundum*
»	96.	»	6	*ea earum*	»	*et earum*

Cetera ipse corrigat Benevolus Lector!